

1648, 1

10

Felicissimis S.S. Triados auspiciis,  
Decreto, & Autoritate,  
*Magnifica, Nobilissima & Gratosissima*  
*Facultatis Medica in Illustri Salanâ,*

PRÆSIDE

UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO  
VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo atq; Excellentissimo*  
Dn. **GOTHO FREDO MOEBIO**  
Med. D. & P.P. celeberrimo, Electorali Bran-  
denburgico & Archi-Episcopali Magdeburg. Ar-  
chiatro Eminentissimo.

Dn. Præceptore, Patrono, & Promotore  
suo omni observantiæ & honoris cultu  
prosequendo,

Disputationem hanc Inauguralem.

DE

**MANIA seu INSANIA,**

PRO LICENTIA

*Impetrandi ritèq; obtinendi summos in Medi-  
cinâ Honores atq; Privilegia Doctoralia.*

Solemnî placidoq; Philiatorum examini submittit  
**JOHANNES CASPARUS BEUTTELIUS;**


Ambergâ-Palatinus,  
ad d. 7. Septembris  
Loco & Horis consuetis

JENÆ,

Excudebat **GEORGIUS SENGENWALDUS,**  
ANNO M. DC. III.

*Beuttelius Dr. Beuttelius d. edm. ul. salute mittit Labor.*





SERENISSIMO NEC NON CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. WILHELMO  
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURIN-  
GIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, COMITIDE  
MARCA ET RAVENSPURG, DYNASTÆ IN  
RAVENSTEIN.

*Domino suo Clementissimo*

Theses hæc inaugurales  
debitâ animi submissione

*offeri*

&

*sacras esse humillimè exoptat*

Johannes Casparus Beuttelius  
Autor & Respondens.



Σὺν τῷ Θεῷ

**R**atione nihil homini excellentius, nihil mirabilius à Supremo Conditoro concessum. Hæc sola nos à brutis segregat, fons omnis humanitatis, mirabilis sapientia omniumque virtutum & actionum laudabiliorum scaturigo. Hæc corpore manente immobili, non solum fertur per aërem, spatiaturque per univèrsam orbis ambitum; verum etiam supra omnem mundum propriamque naturam elevata Angelorum gloriam, & cœli mysteria comprehendit, ortus sui nobilitatem ostensura. Hæc res à materia abstrahit, & sine conditionibus ejus cognoscit, intelligit, infinita penè capit, in se ipsam refleditur, semetipsam cognoscit, insatiabilemque habet scientia, æternitatis, & beatitudinis appetitum, estque reverà juxta *Galenum l. 14. de usu part. c. 6. HOMINIS PARS DIVINISSIMA.* Licet autem eam nobilissima auræ divinæ particula omnibus numeris sit absoluta, morbositamen corporis ergastulo inclusa, suis non caret calamitatibus, depravaturque miserabili modo in notissimo affectu *MANIA.* Etenim eam correpti, omnem humanitatem omnemque morum venustatem exuere videntur, aded, ut vultuseis plenus sit furoris, oculi pleni feritatis, sermo plenus atrocitatis, omnesque conatus effrenatæ pleni audaciæ. Humani mores apud istos misellos in tantum degenerant,

A 2 ut

ut ceu atrocissima bestia obvios / quosq; invadant,  
nonnunquam aperto Marte, nonnunquam ex insidiis  
sanam simulantes mentem. Feritatis vis incredi-  
bili ferè invalescit istis ratione, dum, nisi astu coër-  
ceantur, & probè custodiantur, multorū circumstan-  
tium robur exsuperent, patinas ex stanno paratas  
aliaq; ferramenta, ceu chartam bibulam sine nego-  
tio discendant, vincula disrupār, carceres insolenti  
fortitudine effringant, & non rarè sibi ipsis violentas  
inferant manus, miserrimam vitam lamentabili  
exitu terminantes. Vidi tales, qui astu custodiam  
effugientes in flumina sese præcipitârunt. Ita &  
*AJAX TELAMONIUS* se ipsum gladio perfodit, *EMPE-  
DOCLES* se in flammigerantem *ÆTNÆ* voraginē præ-  
cipitè dedit, *Dea*q; *CTIBELES* Sacerdotes, iratorum  
leonum more, semetipsos intra sacra dilacerârunt.  
Hunc affectum ideâ suâ ferum, feritate tremendum  
& præ cæteris sagax Medicorum consilium expoſtu-  
lantem, *JUSSU ET AUTHORITY MAGNI-  
FICÆ, NOBILISSMÆ, ET GRATIOSISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ*, loco Inauguralis Dis-  
putationis jam in manus sumam placidæque Artis  
peritorum συζητήσεις subiciam. *AD SIS AUSPI-  
CIISTUIS, O DEUS! CONATUIQUE  
HUIC FORTUNATOS LARGIRE  
SUCCESSUS.*

The

**H**ujus igitur gravissimi affectus  
 διαγραφήν accuratorem suscepturi;  
 prius ἐτυμολογίαν explicabimus, de qua *Epi-*  
*ctetus* δέχῃ παιδείσεως ἢ τῶν ἰνομάτων *Ἰπ-*  
*σκεφίς*; sine ejusenim præviâ explicatione,  
 ex sententia *Galenii* l. 1. *Meth. medend.* cap. 5. aliquid cognosce-  
 re velle tempus est perdere; quum perturbatus, nominum usus,  
 rerum quoque perturbet notitiam, monente eodem l. 3. *simpl.*  
*cap. 12.* Quo facto in penetralia illius definitionis, causarum,  
 differentiarum, signorum, indicationum & auxiliorum, fa-  
 ciliiori negotio pedem inferre poterimus.

II. Quamvis autem affectus hic atrocissimus apud  
*Græcos* unico tantum vocabulo *μανίας* venire soleat; in ejus  
 tamen derivatione nullo modo convenire possunt Veteres.  
 Quidam à μῆνη id est Lunâ, deducunt: *Dianam* enim (quam  
 Lunâ præficiebant) ad iram provocatam hominibus  
*μανίαν* immittere credebant olim Gentiles; quam ob cau-  
 sam etiam *μαίνην* piscem Deæ piaculi loco offerebant. Alii à  
*μανόν*, quod rarum & laxum significat, quod hic morbus men-  
 tem ultra modum laxet: vel δὲ τὸ τῆς λυμαίνεω quod corrup-  
 pat ægros, seu ut *Cælius Aurelianus* *tar.* *pass.* l. 2. *cap. 5.* habet,  
 quod polluat ægros, [licet *λυμαίνεω* propriè nocere vel cor-  
 rumpere & labefactare significet:] vel δὲ τὸ τῆς μονῆσαι, quod  
 est solitudinem petere, quod deserta loca sive solitudinem cu-  
 pientes faciat ægros: vel δὲ τὸ τῆς ἰσομένειω tolerare, quod  
 tolerantes & duros reddat ægros, derivât. *Petr. Forest.* l. 10. *obs.* 20.  
*in sebol.* à *μανία*, ipsâ Larvarum matre appellatum malum cre-  
 didit, cujus *Natalis Comes* in *mytholog.* l. 4. *cap. 4.* meminit. *Va-*  
*lesci.* de *Taranta* in *suo Philon.* cap. 12. *μανίαν* à manes dici aut-  
 mat, quod sit divinare. Quæ tamen omnes derivationes per-  
 peram admodum conveniunt minusque commodè huc faci-  
 unt.

III. Non infimum locum habere videtur illa, quæ à *μωία* defumitur: quippe quæ naturæ morbi aliquâ ratione convenit; contumax enim plerumque malum est, firmiterque corpori adhæret, nec non nisi magno labore ab eodem avellitur. Omnium verò proximè ad naturâ affectus accedit ejusque essentiam explicat *ἄπο τῆ μωίας* facta derivatio, quod furere & insanire significat: essentia enim & natura mali in furore & insanîâ consistit. Hinc optimè *Galen. Comm. 1. 1. 2. Prorrh.* scribit, *μωίας* (id est) insanire omnes homines dicunt eos, qui desipiunt sine febre.

IV. Verùm & hujus vocabuli acceptilationes varia sunt, interdum enim *μωίας* & furere amantes dicuntur: Sic *Plato in Phædro ἐρώων μωίας*; & ut vulgare sonat proverbium: *Omnis amans amens.* Hic tamen non illi intelliguntur amantes, qui Philtris & poculis amatoris fascinati, vel ex dispositione à femine aut sanguine menstruo præternaturali verè insaniant: hi enim ad eos potius, qui ex morbo laborant, referendi sunt; sed qui ob aliquem animi affectum ex imaginatione & apprehensione fortiore, hoc vel illud perpetrant, quod rationis quidem non multum, honestatis tamen & decoris interdum excedit aliquantulum limites.

V. SECUNDO per *μωίας* etiam ebriorum intelligitur delirium, quod *Cælius Aurelianus* dicto loco notat, dum dicit, Furorem interdum ex *Libero* Patre (id est Baccho) fieri, qui notante *Natali Com. t.* in suis *Mytholog.* 1. 5. cap. 13. propterea *Libero* dicitur, quod vinū liberius haustum à curis liberet, ac lætos faciat. Non tamen omnes ebrios in hilaritatem se effundere, sed plurimos tristes evadere, & de rebus sacris, de morte verba facere, vel etiam lacrymari, alios ad venerem, iram, rixas, contentiones, clamores, pugnasque concitari, alios fomno statim corripit *Clariss. Sennert. Prax.* 1. 1. part. 2. c. 6. insinuat, unde & *Honatus* 1. 3. *Carm. ode 21.* amphoram vino repletam his alloquitur verbis.

*O nata mecum consule Manlio,  
Sed tu querelas, sive geris jocos,*

Sen



*Seu rixam & insanos amores,  
Seu facilem, piæstæ, somnum.*

VI. TERTIO *μανία* etiam Poëtæ dicuntur apud *Platonem* in *Phædro*, quem furorem Musis ascribit indeq; *μανία* in *Μεσσην* appellat, eamq; omnibus egregiis & præclaris Poëtis propriam esse sequentibus inculcat verbis. *Ὅς ἄνευ μανίας Μεσσην ἐπὶ ποιητικῆς ἵμερος ἀφίηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τῆς χυρῆς ἰκανῶς ποιητῆς ἐσόμην* *⊙*, *αἰτελῆς ἂν τις τε καὶ ἠπόησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἢ τῆς σφρονῆς τῆς ἠφάνισθαι*. *Quæ* fidissimum ejus interpres *Johannes Serenus* Romanis hunc in modum reddidit literis: *Qui absq; Poëtarum furorc ad Poëticas fores accedit, confidens artis cujusdam ductu atq; auspiciis bonum Poëtam se evasurum, imperfectus & ipse est, & ipsius Poëtis mania & imperfecta, præ illâ, quæ ex furore proficiscitur, ac proinde omnis illa quæ ex temperantis sobriq; hominis anima manat Poëtis, evanescit*. Tale etiam furoris genus intelligebat *Democritus*, quando teste *Cicerone* l. 1. de *Divinat.* negabat quenquam Poëtarum magnum fieri posse sine furore.

VII. QUARTO alio modo apud eundem *Platonem* dicto in loco *μανία* pro divinatione & futurorum prædictione sumitur, de quâ inquit: quod *τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας* *θεῖα μέντοι δόσει διδομένης*; cujus furoris exempla adducit vatis *Delphicæ* & *Sacerdotum* in *Dodonâ*, eumq; *Veteres* non turpe quoddam nec ignominiosum putantes furorem prius *μανικὴν* *Recentiores* verò postea interjectâ literâ *T* *perperam μανικὴν* vocasse scribit.

IX. Harum verò nulla est de quâ nobis in præsentiarum sermo: de ea enim nos agimus, quæ ob corporis aliquem affectum, & morbum oritur: quamvis & hoc modo sumptum *Maniæ* vocabulum non omni æquivocationis labe careat. Primum enim latius sese extendit, & cum propriè dicta *μανία* simul vel *Melancholiâ* vel *Phrenitidem* includit, ut videre licet apud *Hippocrat.* l. 6. aph. 21. & 56. Item l. de loc. in homine text. 91. l. *Prorrhæ. comm.* 1. t. 14. quo sensu etiam admitti potest

est

est *Tralliani* sententia, qui Melancholiam à Maniâ solâ intentione symptomatum ad majorem ferocitatem differre docuit. Nos autem ad specialem vocis hujus σημασίαν accedentes cum *Hipp. & Galen.* l. 3. *aph.* 20. *libr.* 2. de *caus. sympt.* cap. ult. & *libr.* 3. de *loc. aff.* cap. 5. Item *Aërio Terrab.* 2. *serm.* 2. cap. 1. de eâ feliciter erimus Maniâ, quæ à delirio Phrenetico ἀπυρεξίας & Melancholico furoris ratione distinguitur.

IX. Latinis hoc malum significat interdum *Delirium* & *Desipientiâ*, ut Stoicis quibusdam, referente *Calio Aureliano* *loc. cit.* quæ tamen vocabula similiter ut Græcum generalia sunt, & aliis etiam mentis depravationibus competunt. Rem propiùs explicant *Rabies*, (quamvis specialius sit hoc vocabulum) *Insania*, quasi sanitate vacens ut *Celsus* l. 2. *cap.* 1. *ex aph. Hipp.* 20. *f.* 3. declarat. licet nec hoc *Manie* vim exprimat: Optimè *Furor*: furibundi enim taliter affecti & ferarum instar effrenes sunt, ut rectè *Henricus Petrus* l. 1. *dissert. Harmon.* 3. insinuat. Germanis dicitur daß Rasend / Wahnwitz.

X. Sed ne λογομαχίας ὀνομαζόλογια nostra prolixior, provocare videatur, pedem ad περαγμαζόλογίαν moveo & cum το τί ὄν, secundum effatum *Stagyrite* l. 7. *Metaph.* c. 5. t. 19. & c. 6. t. 20. nec non *libr.* 2. *post analyt.* c. 3. t. 2. ex definitione elucescat; sitq; secundum *Scaligerum* de *Plant.* l. 1. nihil dignius cordato viro quam definire,

XI. Definitio *μανίας* seu *Furorem*, quod sit delirium, vel vehemens ac continua principum cerebri functionum, imaginationis scilicet & ratiocinationis depravatio, citra febrem, sine metu, ac tristitia, sed potius cum excandescentiâ, audaciâ, ac ferociâ, à spiritibus vitæ exaltatione, & ipsius massæ sanguineæ insigni fervore cum occultâ qualitate conjunctis, originem ducens.

XII. Genus formalem rationem exprimit quæ in delirio, & depravatione principum cerebri functionum sine febre, cum furore consistit: unde rectè refertur inter symptomata actionum læsarum.

XIII. Quæ verò potissimum lædatur actio artis proce-  
res

res maximè dissentiunt, *Arethaus* l. 1. de *caus. & sign. morbor. diurnurn. cap. 5. ut & Avenzoar l. 1. thesyr. tract. 1. c. 6.* hanc ægritudinem intellectus potissimum destructionem esse autumant. *Avicenna. cap. proprio.* nec non *Aëtius* l. 6. c. 3. ex sententia *Archigenis & Posidonii cap. propr. de Insaniâ*, imaginationem etiam lædi arbitrantur. *Galenus*, quamvis nullibi locorum sententiam suam hæc in re clarè explicet, innuere tamen videtur l. de *sympt. different. c. 3.* Delirium plerumque contingere, tum parùm probè imaginando, tum parùm aptè ratiocinando. Verùm cum & memoria inter functiones principes referatur, an illa in Maniâ lædatur nec ne, quæstio est? Salvam manere *Aëtius loc. cit.* ex cantilenis familiaribus, quarum illi in furore non obliviscuntur probare conatur, quod insinuat etiam videtur *Galenus*, dum *loc. cit.* ne verbo mentionem læsionis ejus facit. Sed ad locum *Aëtii* optimè respondet *Hieronym. Mercurial. Prax. l. 1. c. 16.* inter memoriam penitus illæsâ & aequaliter læsâ distinguens, qui memoriam in tanto Spiritu & animi tumultu planè nõ offendi impossibile, imò fabulas esse credit, læsâ tamè ex parte memoriâ species sensibiles fideliter receptas & reservatas Phantasiæ rursû, si opus est, suggerere ac exhibere posse non inficiatur. Quod verò *Galenus* ejus non recordetur, in causa fuisse putamus, quoniam sub læsione rationis comprehendi potest, id quod ex *libr. 3. de loc. aff. c. 5.* patet, ubi rationatrice vehementius læsâ semper etiam memoriam lædi affirmat. Veritati itaque maximè consentanea est *Stephani Atheniensis* sententia, qui lib. 1. aph. 22. omnes principes animæ actiones in Maniâ lædi asserit, cujus & nos sententiæ subscribimus.

XIV. Et quidem primariò, principaliter, ac propriè Phantasia læditur: ob phantasmata enim depravata imaginantur quæ planè non sunt, & circa ea firmiter & constanter occupantur. Ratio verò per accidens tantùm depravatur, dum species intelligibiles non uti deberent, & quales revera sunt; sed prout à læsâ imaginatione depravate conceptæ, rationi offeruntur, ab eadem etiam malè dijudicantur, ita ut ratio per se quidem læsa non sit, cum res & species atque objecta

B rectè

re cte, ita scilicet prout oblata sunt dijudicet. Et quia memoria à multitudine objectorum, quibus retinendis non sufficit, obruitur, non potest non & ea viciari, diminuitur verò aliquo tantum modo, nunquam tamen planè aboletur, quod fabularum cantilenarumque familiarium in ipsis etiam paroxysmis prompta recitatio certâ fide consolidat.

XV. Est autem mentis hæc depravatio *vehemens*, ob causæ pravitatem à qualitatibus non solum manifestis, sed & occultis dependentem; *Seior* enim quid hic subesse, nullus cerebro qui valet, inficiabitur. *Continua* ob Cerebrum vel per essentiam affectum, vel perpetuam causâ præsentiam, quâ Mania à delirio ex ebrietate contracto differt: sunt enim qui ebrii non minus ferociunt quam Maniaci, concoctâ verò crapulâ iterum ad se redeunt, immemores sæpè prægressæ dementiæ, capitisque dolore & gravitate aliquando postea divexati, insaniam pœnas dant justissimas. Alii noctu dormientes surgunt, in vicinos furiosè invehuntur eosque de verberant, expegefacti verò resipiscunt, ut ille apud *Hercul. Saxoniam Prax. l. 1. c. 17.* qui dormiens uxorem suam sæpissimè gravissimis excepit verberibus: Mania verò ad plures non solum dies, sed etiam septimanas, menses, ac interdum annos extenditur. *Citra febrem* delirare proprium est Maniacorum, sicut cum febre Phreneticorum: *Galen. comm. 1. Prorrh. 1. & comm. 3. in l. 3. epid. 45. inquit: in hoc solo continuo existente arbitramur cum febre Phrenit in esse, in nullo alio differentem à Maniâ, præterquam febre quæ passim etiam confirmat 2. de causis symp. cap. 7. & loc. aff. c. 5. cui etiam subscribunt Calius Aurelianus dnuturn. passion. l. 1. c. 5. Alexand. Massarias Prax. l. 1. c. 22. Hieronym. Mercurial. Prax. l. 1. c. 16. Gulielmus Rondeletius Meth. Medend. l. 1. c. 43. Petrus Forestus l. 10. observat. 12. in schol. quorum vestigiis omnes etiam Neoterici insunt, qui tamen, omnes de symptomata tantum, & à Cerebri intemperie dependente febre, intelligi volunt, Maniacum verò primigeniâ interdum febre corripi posse minimè negantes, quæ & *Heinrici Petrai l. 1. disert. Harmon. 3. mens est. Reliqua quæ subjunguntur sine me-**

in ac tristitia, sed potius cum exandescencia, audacia ac ferocia, Maniam à Melancholia distinguunt: cum enim deliria sine febre duplicia sint, alia quae sunt cum ferocia & temeritate, aliud verò quod cum timore & tristitia conjunctum, ab hõc Mania differt, quod semper cum ferocia & temeritate (quae signa pathognomonica) fiat: Nunquam enim Maniacus tristis est & timidus, quod proprium Melancholici.

XVI. *Πρωτον δευτερον* sive principale savissimi hujus accidentis Subjectum quod nam sit, alii aliter sentiunt: *Avicenna l. 3. Canon. Fen. 1. tract. 4. c. 19.* Cor ingrato huic hospiti domicilium præbere; *precedent. verò cap. 16.* ventriculum in sinu fovere serpentem asserit. *Alex. Massariæ l. 1. c. 22.* Cerebrum semper mali sedem esse putat. *Cælius Aurelianus gard. pass. l. 1. c. 5.* omnem nervositatem magis tamen capitis affici docet. *Hercul. Saxon. l. 1. c. 17.* triplex agnoscit subjectum videlicet Cerebrum, totum corpus, & hypochondria vel uterum. Imò ipse etiam *Galenus* hac in re dubius hæret, *libr. 6. nim. 3. de loc. affect. c. 4.* in Mania nullum certum loci affecti argumentum vel signum dari fatetur lib. tamen 17. *de usu part. cap. ult. & comm. in Hipp. sect. 6. aph. 53.* In omnibus deliriis Cerebrum sive primario & per *ιδιοπαθειαν*, sive secundario & per *συμπαθειαν* aliarum partium affici testatur.

XVII. Ex hoc difficultatum nos ut expediamus labyrintho, Ariadnes filum nobis sit distinctio inter subjectum inhaesionis & generationis, quod utrumq; vel primarium vel secundarium. Subjectum generationis Primarium omnis Mania Cor est, in hoc enim semper prima sua nefandum celebrare malum natalitia, prodromi ejus, frontis, temporum, oculorum nec non totius corporis vasorum inflatio, imprimis insueta ad iram propensio & facilitas ad oculum demonstrant. Secundarium modo est Cerebrum, unde essentialis, modo hypochondria, modo Uterus, modo totum corpus, unde sympathica. In quibus si vitiosæ quædam disposita stabuletur materia, indeque mediante sanguinis motu (quo sæpè ea quæ partibus inferioribus inhærent, ad superiores ascendere, certò scimus)

per venas, unâ cum sanguine ad fontem regurgitante suum.  
Cordi communicetur, *κρῆσαν* ejus, augendo calorem, evertens,  
sanguis fervorem concipit, & spiritus vitæ exaltatur, qui de-  
inceps beneficio arteriarum in reliquas microcosmi regiones  
pro illarum refectione propulsi, actiones quarundam augent,  
aliarum verò tanto quæ calore opus non habent, disturbant.  
Unde *Divinus Senex. l. 2. epid. sect. 5.* pulsus cubiti furorem &  
Maniam futuram indicare & *libr. de morb. virgin. num. 1. in  
fin.* virgines maturas virò ex menstrui suppressione in deliri-  
um & reliqua symptomata incurrere, quia menstruus sanguis  
ad cor & septum transversum confluit ubertim: affecto enim  
Corde vitæ principio, inquit *Galen. l. 5. de loc. aff. c. 1.* necesse  
est mox illi reliqua omnia consentire.

**XIIX.** In hæssionis subjectū primarium Cerebrum  
esse, ex principum animæ functionum læsione patet, afficitur  
autem secundum *Galenum l. 17. de us. part. cap. ult. & comm. in  
Hipp. sect. 6. aph. 53.* vel per *ἰδιον πρῶθεναι*, ut: simliare spiritibus:  
& calido nativo perfusum, vel per *συμπρῶθεναι* partis alicu-  
jus sub hypochondriis contentæ: regiam tamen rationis se-  
dem sive essentialiter sive per consensum laboret tantoperè nō  
deturbari, neque perfectam Maniam induci posse, nisi virus  
mali prius cor edat, prævia cum temeritate excandescencia  
suo & quidem infallibili confirmat calculo. **Secundarium**  
totum esse corpus tam manifestum quam manifestissimum.

**XIX.** **Causam** quod attinet **immediatam**, cum  
*Ludovico Mercat. libr. 1. de morb. intern. cap. 18.* rem esse gravem  
magnique momenti fateor; exemplo quod patet sapientissimi  
*Philosophi Democriti*, qui dum cadavera secaret ab *Hippocrate*  
interrogatus, quid ageret? respondit: sese pervestigare causam  
furoris & insanix hominum; causam truculenti hujus adfe-  
ctus valde abstrusam esse & nodosam ostensus. Unde per-  
pauci antiquorum medicorum ejus mentionem faciunt, iisq;  
omnes ferè inter se dissentiunt; quidam enim solùm intempe-  
riem manifestam, vel cum, vel sine materiâ, calidam accusant,  
quidam ad commune ignorantix asylum, occultam qualita-  
tem, confugiunt, alii utramque conjungunt.

**XX.** Nos ne planè silentio illam transeamus relictis ho-  
rum

rum omnium sententiis, exercitii gratiâ *Proximam* adfectus  
hujus *causam*, Spiritum esse vitæ exaltatum dicimus, à  
quo, exceptâ mentis fede, reliqua viscera non leve concipiunt  
robur: ea enim, quæ nutritioni dicata, propriis ventriculis,  
ob calorē auctum, cibos concoctu difficillimos, etiam confer-  
tim, & præter solitū ingestos, felicissimè cōcoquunt, aptumq;  
exinde singulis partibus alimentum eliciunt; quo respiciens  
*Galenus in art. parv. cap. 62.* calidiorē ventriculum alimenta  
dura & *σπουδαιότερα* rectè concoquere docet: unde vita illo-  
rū cū tot diætæ erroribus diuturna, nec nō ad longissimos sæ-  
pè humanæ conditionis terminos prorogata incolumitas de-  
pendet. Et quia mediantibus arteriis unâ, cum sanguine spi-  
ritus hic exaltatus, in omnes & singulas corporis partes diffun-  
ditur, nō mirandū, quod ii, qui in claustris tēpore hyberno cu-  
stodiuntur publicis, quamvis vestibus non sint præmuniti, ad  
longum, & satis diuturnū tēporis intervallum, citra vitæ nau-  
fragium ac incommodum, frigus intensissimum tolerare va-  
leant; imo si tangantur, non frigidi sed calidissimi, & rorido ut  
plurimum sudore è corpore emanante perfusi reperiantur. A  
sanguine verò in Cerebro liberatus, ac per meandros & anfra-  
ctus ejus colatus spiritus, beneficio nervorū ad musculos tran-  
siens, illis *ἀππῶν* & in effabile robur (eius in præmio men-  
tionem fecimus) conciliare solet.

XXI. Causa verò, cur reliquis actionibus salvis & au-  
ctis, mentis tantopere deturbetur & depravantur, hæc esse vi-  
detur: Nim. cum *ex art. parv. Galen. cap. 33. & 35.* constat: Eos  
qui naturâ constitutionis sunt frigidioris, meticulosos & ad  
actiones obeūdas tardiores, ac segniores esse iis, qui calidioris  
sunt tēperamenti, (quippe qui ad munia suscipienda atq; gerē-  
da celeres, expediti, & non rarò præcipientes, iracundi etiam nec  
facilè placabiles sunt,) sequitur Spiritum, qui sensuū au-  
thor, temperatissimum esse debere. Quod si *νεῦσις* hæc non serve-  
tur, munus suum debito modo obire nequit: ex ejus enim ni-  
miâ refrigeratione & congelatione, sensus omnes hebetescunt  
& stupefunt; si verò calidissimus, prout è corde profluit, i-  
dem maximè perturbantur & depravantur.

XXII. Quare cum fervidissimus è Corde procedat, Spiritus; pro fervore ejus temperando, Cerebrum frigidius superaddidit natura: unde etiam *Aristoteles libro 2. de part. animalium cap. 7.* Cerebrum  $\omega\epsilon\gamma\sigma\tau\eta\iota\varsigma$   $\epsilon\upsilon\upsilon\iota\sigma\tau\eta\iota\varsigma$   $\epsilon\upsilon\upsilon\iota\sigma\tau\eta\iota\varsigma$   $\epsilon\upsilon\upsilon\iota\sigma\tau\eta\iota\varsigma$  factum esse, ait: & paulo post:  $\acute{\omicron}\mu\lambda\acute{\omicron}\nu\ \epsilon\upsilon\gamma\iota\epsilon\phi\alpha\lambda\omicron\sigma\iota\ \epsilon\upsilon\kappa\epsilon\phi\alpha\lambda\omicron\sigma\iota\ \pi\omicron\iota\epsilon\iota\ \tau\eta\iota\ \epsilon\upsilon\ \tau\eta\ \kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha\ \theta\epsilon\tau\mu\acute{\omicron}\tau\eta\iota\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \zeta\epsilon\sigma\iota\upsilon.$  Quod si igitur, vel ob naturalem vel præternaturalem dispositionem debilitatum Cerebrum, spiritus in corde quacunq; de causâ exaltati, & mediantibus arteriis in illius substantiam prolapsi fervorem temperare, eique divago frenum injicere pote non est, ipse juris sui factus, variis modis nobilissimam mentis sedem depopulare solet; ac qualitibus calidâ & siccâ suaves exhalationes, somni pabulum, dissipando, sensuumq; vinculum solvendo, vigilias contumacissimas inducit, exemplo quod patet Maniaci, cujus *Fernelius l. 5. Patholog. cap. 2.* metionem facit, quatuordecim qui, menses infomnes duxit. Phantasmata verò varia & absurda formando, non etiam eo quò debebat modo, nec ordinatè, sed vel omnia ferè simul & confusè, eaque diversissima, & non coherentia, intellectui offerendo, delirii gravissimi causa existit.

XXIII. E Cerebro egressus, per nervos in sensuum externorum organa influens, etiam illos maximè lædit, ubi primò sese offert *Tactus* temperici præ cæteris amans; unde si ad ejus organa, prout è corde profluit calidissimus, nec à Cerebro temperatus abeat; & illa intemperiem contrahunt, hinc à sensibili calido non facillè alterari, neque frigidò, nisi maximè valido affici possunt: quæ ratio, quòd intensissimû frigus nudato etiam corpore tam leviter ferant, plagasq; nec non vulnera vix percipiant. Exempla plurima sunt obvia, præ aliis tamen notabile id est, quod *Antonius Benivenius l. de abdit. morbor. & sanitat. causis cap. 99.* de puellâ Maniacâ narrat; quæ quicquid obviû habuit, dentibus arripuit, fregit, laniavit, & cum aliis objectis destitueretur, tandem suas manus, brachia, capillos, & si quid præterea arripere potuit, mordicus adeò nullo habito discrimine, summe an alienum esset, apprehendit, ut nisi scissum ac prorsus laceratum ex ejus dentibus



ribus eripi potuerit. Verùm non solum *Tactum*, sed reliquos  
 etiam sensus, præprimis *Olfactum* ut & *Gustum* lædi experien-  
 tia docet; videmus enim Maniacos viva animalcula, carnes  
 erudas; imò propria non raro stercorea, aliasque res dete-  
 stabiles, sine ullâ nausæ & factoris gravissimi perceptione de-  
 vorare. *Visum* si depravari quis negaverit, à spectris & marmy-  
 rigis, oculis quæ furiosorū frequenter obversantur refutabitur,  
 Phantasiam tamen corruptam magnam his aperire fenestram  
 non inficior. *Auditum* etiam non rectè se habere aurium tin-  
 nitus, sonitus, strepitusque, de quibus sæpissimè conque-  
 runtur insani, docent.

**XXIV. Causæ Mediatæ proximioris** vices hu-  
 morem agere atrabilarium calidum & siccum, ex humori-  
 bus calidis assatis ac adultis progenitum, communis omnium  
 ferè Medicorum sententia est, quibus repugnare religio qui-  
 dem sit, verùm meam hæc de re mentem, quum singulari in-  
 dultu *Gratiosissime Facultatis Medice*, in lucem prodere lici-  
 tum sit, hunc ego humorem (pace tamen Tantorum Virorum)  
 tantâ absolverem culpâ: planè enim prænaturalis est, & non  
 nisi in corpore præter naturam constituto procreatur, ut *Gal-  
 lenus libr. de atr. bil. cap. ult.* docet. *Et Licitat. cap. 3. nec non l. 3.  
 de sympt. caus. cap. ult.* tantam acrimoniam & mordacitatè illi  
 adscribit, ut etiam in terram projectus eam fermentet, inde-  
 que sine notabili viscerum læsione corpori diu inharere ne-  
 queat. Infelices sunt testes ii, qui cancro, elephantiasi, scabiè  
 pravâ, aliisque affectibus atrabilaris laborant. *Deinde* si hu-  
 mor hic furoris ac excandescentiæ Maniacorum causa existit,  
 cur non alii ex atrâ bile correpti in talia incidunt symptoma-  
 ta, cum tamen ut plurimum tota massa sanguinea vitio ejus  
 contaminata sit & infecta? *Item* cur *Divinus Senex s. 7. apb.*  
*3.* dysenteriam ex Maniâ bonam esse judicat, cum tamen ean-  
 dem, quæ ab atrâ bile ortum duxerit, lethalem esse notet *s. 4.  
 apb. 24.* Porro cur in aliis affectibus atrabilaris vires languent,  
 & extremâ cum sensus privatione frigent, In Maniâ verò viri-  
 um robur augetur, ac extrema ad tactum calida sunt, nec facilè  
 à frigore licet intensissimo læduntur? *Præterea* dantur homi-  
 nes, qui aliàs satis sunt mansueti, modesti, & placidi; inebriati  
 verò

verò, vel irâ succensî non minùs quam veri Maniaci insanunt, omnem verecundiam & pudicitiam prostituunt, plagasque vel vulnera passi vix ea percipiunt, antequam deferbuit illa, excandescencia, vel à generoso ac superfluo potu immissus calor. Unde in his ebrietatis tantum & iracundia: tempore atra bilis emergit? Tandem in Maniâ generosissimum quid possit remedium venæ sectio, Practicorum tam veterum quam Neotericorum scripta probant, quâ sæpius reiteratâ furibundî convaluere plurimi, imò *Platerus l. 1. citat.* refert. Chirur- gos quosdam & alios, qui ex professo hisce morbis sanandis operam dabant, vigesies & sexagesies etiam venas in diversis corporis partibus sine discrimine tundendo, innumeros insanos pristina: sanitati restituisse, ut postea incolumes longam, adhuc vitam vixerint, cum adversum in malis quibusdam, atrabiliaris ne semel quidem, in aliis verò nõ nisi accurato indicantium & contrajudicantium examine adhibito, interdum venas aperire liceat.

XXXV. Cum igitur ex dictis constet, atram bilem Maniæ causam mediatam proximiorē non audire, alia quærenda est, quæ ad producendam causam proximam plus valeat, majoremque veritatis speciem præ se ferat. Illa autem **Cordis est Calor** à quacunque causâ, vel externâ, vel internâ auctus: Cum enim Cor ἐγγυσιθίου sit sanguinis & spiritus vitæ, quo calidior est, eo calidior quoque sanguis, & spiritus generatur: augetur verò calor spiritusque exaltatur, ob frequentē per viscus hoc calidum transitū, & circulationē, quod ex artificiali Chymicorum circulatione (quam à vase in quo perficitur Pelicanationem vocant) apparet: quemadmodum enim in hac, materia circulanda primò vasi Pelicano includitur, deinde calor circa ejus fundum ac latera adhibetur, in parte verò superiore aëri frigidioripatet; hinc semper à calore sursum vapor aliquis in altum attollitur, qui à frigore ibi coagulatus, per canales ad latera in vas iterum descendit, atque ita per coctionem illam continuam & circularem hunc resolutionis & condensationis modum, ad summum perfectionis in suo genere gradum pervenit: sic & cum naturali nostra circulatione ferè  
com

co mparatum est; Pelicani vices cor agit, cujus canales vel  
*ἄρτηρες* arteriæ sunt, & venæ; per illas coctus in corde san-  
guis ad pulmones ac extremitates corporis propellitur, ibi verò  
refrigeratus per hos in cor remeat: unde quò sæpius Spiritus  
cum sanguine Cordis ventriculos transit, eo in majori copiâ  
generatur magisque exaltatur: non enim omnis sanguis ido-  
neus est ut in spiritû abeat, sed qui pluries repetitâ circulatio-  
ne à fomitis calore habilis redditus. Quòd si igitur quacûq; de  
causâ spiritus & sanguinis officina calorem præternaturalem  
contraxerit, non possunt non & illi infici, hinc totum cor-  
pus in consensum trahitur.

XXVI. Cordis autem calorem auctum in *Maniâ* accu-  
sandû esse, signa ejus pathognomonica, junctâ scilicet furori  
iracundia, temeritas & audacia, affectus qui cordi sunt calidi-  
ori proprii, luculenter monstrant. Patet id ex temperie visceris  
hujus calidâ naturali, cujus signa secundum *Galenum in art.  
parv. cap. 29. & 33.* sunt audacia, furibunda quædam iracundia  
& temeritas, mores tyrannici & calor totius corporis, quæ om-  
nia in Maniacis satis obvia sunt. Exempla qui desiderat,  
Heroicos respiciat animos, qui, nisi Philosophiæ moralis studio  
refrenati, præter animositatem & audaciam quâ polent,  
maximè ad iram & tyrannidem proclives sunt. Videmus id in  
aliis etiam animalibus, quibus cor est calidius: sunt enim leo-  
nes, ursi, tauri, apri, animalia præcalida, ac ob id iracundio-  
ra & audaciora iis, quæ sunt frigida, ut sunt asini, lepores, mu-  
res &c. Juvenes quia calidi, facilius exæstuant audacioresque,  
senibus sunt, quanquam eos etiam judicii imbecillitas & im-  
peritia rerum audaciores reddat. Cholericis quibus Cor fer-  
vet, temerarii magis sunt Phlegmaticis, & Melancholicis, qui  
frigent. Mares quia calore abundant, audaciâ & animositate  
fæminas superant, quæ sunt algidiores. Hunc verò cordis ca-  
lorem acribus, calidis biliosis, melancholicis, & singulari mo-  
do exaltatis humoribus oriri non omnimodo imus inficias.

XXVII. In *Maniâ* tamen *θεῖον* quid subesse, & cum spi-  
ritus vitæ exaltatione sanguinisque fervore occultam con-  
currere qualitatem, *Felicissimo Placero prax. 1. c. 3.* facile largimur  
C quod

quod admiratione digna adfectus, sine ullâ putredinis & inflammationis notâ, declarant accidentia.

XXIIX. *Theophrastus Paracelsus* in enodatione causæ sibi ipsi non constare videtur, dum *libr. de mort. c. 2.* mineram Maniæ non satis intelligi posse fatetur, indeque varius est nihilque determinati. Nam *libr. 10. 1. de capit. advers. intern. 1. 3.* & *libr. 1. de virib. Membr. c. 3.* oppilationem accusat. *Libr. de morb. ament. cap. 2.* ex tribus primis [nempe principiis] oriri, *libr. verò de generat. caduc. tab. 5.* ex quatuor elementis, & benigniorem quidem ex elemento aëris, aquæ, & terræ; furiosam verò ex igne proficisci asserit. *Libr. & cap. de morb. jam citat.* Maniâ duplicem constituit: unam ex destillatione, alteram ex sublimatione Mercurii procedentem: cujus etiam sententiæ subscribit *Sebeunemannus in denar. suo hermetic.* quæ omnia, modo dextrè interpretentur, Dogmaticorum fundamentis non in universum obstrepunt; quâ de re fusius differentem vide *Heinric. Petreum libr. 1. differ. harmon. 3.* Nostram hæc in re sententiam ad publicum reservamus conflictum.

XXIX. **Causæ remotæ naturales:** Proclive est *Temperamentum* calidum & siccum. *Habitus corporis* siccus, niger, hispidus igniculos alit. *Ætas juvenilis:* sic *Galen. l. de aëre loc. & aq. cap. 3. t. 8.* Maniâ inter morbos juveniles refert, & *Cæli. Aurelianus tard. pass. libr. 1. cap. 5.* dicit frequentius generari in juvenibus, ac mediis ætatibus, difficile in senibus, atque difficilius in pueris & Mulleribus: Malum tamen hoc etiam Mulieribus familiare esse docet *acutissimus Hipp. interpos. Prosser Martianus sect. 6. apb. comm. 21.* Exempla hodie ante oculos habemus quam plurima. Senem rabiosum vidit *Nicol. Tulpius l. 2. observ. 21.* Imò omni ætati & omnibus naturis Maniâ accidere posse observavit *Felix Pläterus l. 1. f. cit.* nec video quid obstet, quâvis in aliis facilius in aliis verò difficilius se excitetur. *Hereditaria & congenita dispositio* si adit, eo faciliori negotio malû radices agit, depedet aut eilla vel à Patribus, quando *parvula omnequæq. semine* Parentum in liberos transplantantur, eo modo ut *Aristoteles l. 7. cap. 6. de natur. animal.* claudos ex claudis, & cæcos ex cæcis gigni asserit, quam etiam causam prætendit *Hipp. libr. de aëre loc. & aq. cur*  
cir-

circa mæotim paludem *μακροῦ Φαλοῦ* nascantur talem Maniacū Patricio sanguine prognatum, qui dubio procul adhuc in vivis, vidit. Venetiis *Vir Nobiliss. Amplif. Excell. & Experiment. D. Schelhamerus, Med. Doct. & P. P.* in *Illustri hac Salana Celeberrimus, Præceptor & Promotor meus omni honoris cultu semper suscipiendus.* Vel à peculiari astrorum tempore nati-  
 tatis influxu, ut enim eadem secundum *Galen. l. 3. de dieb. Critic.* magnam vim habent in sanandis vel inducendis mor-  
 bis, sic maximè inferendâ dispositione Maniacâ *Pontan. l. 10. de rebus Cælest. cap. 13.* Si nimirum Mercurius à ☉le notabili spatio separatus, ☽verò cum ♃ve aut ♄re in signis igneis & domiciliis occidentalibus combinatus, ♃tem similiter secum conjunctū habuerit aut è quadrangulo oppositove loco vide-  
 rit hostiliter insultantem. Sic si cum ☉le ♃ & ♄ in locis ab-  
 jectis & signis dispositis ut V. ♃, aut hisce quadrangulatis vel oppositis constituti à ♃te lædantur, ad *Maniam essentialem* disponit viscera: Si verò ☉ ♄ & ♃ in ♃ & Scorp. positi di-  
 versis radiis se invicem læcessant, *Amoris insani* aut *Furoris uterini* prodromi sunt.

**XXX. Non naturales,** quæ ad exclusionem mali hu-  
 jus Ovi multū faciunt sunt. **I. Aër** qui caliditatis & siccitatis gradu prædominans hæc turbas in mentis aulâ excitare solet, unde ab *Hippocrat. sect. 3. aph. 22.* Maniâ inter morbos æstivos refertur, qui autumno deteguntur: fervidus enim aër ubi attrahitur, non potest sanguis per pulmones transiens secundum naturæ institutum refrigerari, sed calidus ad focum reversus, magis effervesceat, & Spiritus exaltatur. Sic sub fervore Sirii, ☉le versante in ♃ne, canes ut plurimum virulentâ flagrare solent rabie, licet peculiaris etiam sideris hujus influxus accedat. Idem efficit mora diuturnior in balneis, officinis æstuosis & sub radiis solaribus, qua ratione puella apud *Amat. Lusitan. centur. 1. curat. 35.* quæ caput ad Solem lavasset, insana facta est. Hanc etiam ærumnam conflare potest transpiratio caloris prohibita per obstructionem pororum cutis auctore *Galeno, 2. prorrhæc. cap. 14.*

XXXI. 2. Victus ratio calidior somitem etiam  
 subministrat: ut alimenta aerea, nimis salita aromatibusque  
 immoderatus condita, qualia sunt Zingiber, Caryophylli, ci-  
 namoni: Piperis species, allium, cepa, &c. Addunt flammæ  
 oleum, qui vina generosa, malvaticum, Hispanicum, Hippo-  
 cratica, aliaque aromatisata arte facta, item Spiritus de vino,  
 seminibus & frumento paratos, superflue ingurgitant. Unde  
 id inter tot divinas virtutes *Alexandro Magno* fuit vitio tri-  
 butum, quod præ nimio potu in furorem raptus fuerit. Huic  
 pertinent Pharmaca calefacientia, & alia oeculta quali-  
 tate malum inducentia, hyoscyamus mandragora, solanum,  
 furiosum, cerebrum Mustelæ, felis teste *Salmuth. cent. 3. obs.*  
*ult.* cerebrum urfi referente *Foresto 10. obs. 25. in scbol.* Pellicu-  
 la, quæ revellitur à fronte pulli equini recens editi, secundum  
*Aristot. l. 6. histor. animal. c. 13.* Talem pelliculam eum *Cesonia*  
*Caligula* in potu porrexisset, eum amore insano tentatum: ob-  
 iisse mortem, notant *Svaton in Caligul. & Juvenalis Satyr. 6.*  
 Venena, & philtrea quibus meretrices amorem, & veneris desi-  
 derium procreare autumant, de quibus tamen rectè beneque  
 Poeta canit. Philtrea nocent animis vimque furoris habent.  
 Quali modo *Lucretiam & Lucullum* Maniâ correptos perii-  
 se scribunt *Euseb. in Chron. & Plutarch. in Lucullo.*

XXXII. Peculiarem furorem, qui in specie rabies dici-  
 tur, & arctissimo vinculo junctam sibi habet à *Celfo l. 5. c. 27.*  
 non immeritò miserrimum appellatum morbi genus, *Hydro-*  
*phobiam*, [miserrimum enim est ægros simul siti & aquæ me-  
 tu cruciari] incidere solent, venena per morsum sputumque  
 rabidorum communicata animalium, quæ quidem diutissimè  
 sine notabili noxâ in corpore delitescere, in actum tamen  
 deducta præsetissimâ perniciè conciliare possunt. Hinc *Galen. 3.*  
*Epid. comm. 3. t. 25. seu agrot. 4. apertum est*, inquit, quod *Canis*  
*Venenum* (libr. enim 6. de loc. aff. cap. 5. nulla præter *Canem*  
 animalia in rabiem agi asseruit *Aristoteles vero l. 8. histor. ani-*  
*mal. c. 22. t. 24.* Camelum & Equum in rabiem incidere,  
 & *Celius Aurelianus l. 3. acut. c. 9.* Idem *Avicenna l. 4. fen. 6.*  
*mult. 4.* urfos Leopardos, asinos, mulos, mustelas, simias,  
 lupos,

Lupos, fues, boves, vulpes, feles in rabiem agi testantur. *Baccius in rmet. de venen.* etiam Gallum gallinaceum rabie correptum & ab eo hominem interemptum vidit *licet in demorsis non atietur & quiescat, nullam interim nobis sui notitiam prodatur multis proximis mensibus, & Hieronym Fracastor l. 2. de morb. contagios. c. 10.* rarissime ante 20. diem malum se prode scribit, additque puerum octavo post mense, ex quo demorsus fuerat, infectionem ostensisse. Similem refert historiam *Remberus Dodoneus in suis observat. c. 12.* de quodam Juvene. Et *Conradus Gesnerus epist. Medicinal. l. 3.* de Lithotomo quodam, qui amplius sex menses postquam demorsus, nihil mali percepere, tandem vero hydrophobia correpti miserrime perierunt. Et hanc etiam viam *Juris peritissimum Baldum* à caniculo in deliciis habito demorsum, paulo post ad plures abisse legimus apud *Forest. l. 10. obs. 17.* *Antonius Guainerius tabf. de venen. c. 12.* se à fide dignissimo accepisse scribit, quod euidam post 18. annum à cane rabido morso merus aqua accesserit. Causam cur tam diu in corpore delitescere possit reddit *Clariss. Sennert. in Institut. l. 2. part. 3. sect. 2. c. 4.* quomodo vero à tam levisculo vulnere totum corpus tractu temporis in consensum trahatur, & veneno animalis rabidi inquinetur, non addit, quod nos sequenti modo fieri putamus: Scimus enim sanguinem vitali spiritu imprægnatum è corde ad partes exteriores beneficio arteriarum propelli, ibi partim immediate in venas, cum quibus *ααωυευταγ*, partim vero per carnis porositates transire, indeque venis mediantibus ad focum suum regredi. Quod si igitur pars aliqua à cane rabido demorsa ejusdem veneno inquinetur, non potest non etiam sanguis per vulnerata partis porositates transiens labent aliquam contrahere, quam ad cor reversus eidem totiq; massæ sanguineæ communicat: ubi quidem venenum ob injectum à cordis & sanguinis robore frenum non statim vires suas exserere valet, sapius vero reiterato per demorsam & inquinatam partem sanguinis transitu, pededentim radices agit, vitamque latentem oppugnat, donec tandem totam massam sanguineam commaculat, contra naturam apertis armis consurgat hominemque

in præsentissimum exitium coniciat. Quod venenum prout  
efficacius, & corpus patientis ad resistendum fortius vel debili-  
us, ita modò citius modò tardius in actum deducitur.

**XXXIII. 3. Vigiliæ** incautam mentis æconomiam in-  
sultibus suis maximè conturbare, & ni propter frenum ipsi  
injiciatur, intra paucos dies, vel totalem ædificio humano rui-  
nam frueri, vel præter alia gravissima symptomata etiam Man-  
niæ authores evadere cum Hipp. & Galen. comm. 3. f. 2. & 18. f.  
7. univ. Med. sc. docet.

**XXXIV. 4. Exercitationes corporis**, præprimis sub so-  
le, vel in locis calidis, mediocritatis limites excedentes, male  
etiam hic audiunt. Ita recenset *Forestus l. 10. obs. 20. in scbol.*  
historiam de milite quodam *Theodoro Manno, bellicis tormentis*  
*præfecto*, cui, cum in quodam conflictu infinitos globos in ho-  
stes ejaculatus esset, ex sonitu bombardarum graviore caput  
adeò incaluit, ut in furorem adactus sit, à quo nunquam libe-  
rari potuit, sed insaniam confenscens, tandem Alcemariæ in-  
nosocomio furibundus obiit. *Forestus* quidem solum gra-  
vem sonitum tantam ærumnam conflasse putat; nos verò  
potius ex maximo eoque indefinente motu; & labore circa di-  
rigenda tormenta; & aère ex continuâ illâ magnorum globo-  
rum explosione, & pulveris tormentarii accensione calidiorè  
reddito, militem hunc suo sibi jumento accersisse malum exi-  
stimamus; sonum tamen, seu vehementem aeris circa caput,  
& aures vibrationem symbolum quoque suum addidisse non  
inficiamur.

**XXXV. 5. Animi παθήματα** quantum menti affricare,  
valeant nævum, historiarum & observationum pagina infini-  
tis exemplis probant. Primum hic facile obtinent locum  
nimia ira vel excandescencia, & immoderatus amor; qui affe-  
ctus tantam in corde excitare solent flammam & fervorem, ut  
etiam in Nobili ad olefcente, adamata suæ assidente, ex nimio,  
quò ad insaniam usque flagrabat amore, venam in tempori-  
bus suâ sponte disrumpam, exindeque fervidissimum in ma-  
gnâ copiâ profluentem viderit sanguinem ipse *Dornax consule.*  
*Medic. l. 1. c. 3. Apud Valeriolam l. 2. 7. obs.* historia extat de Ju-

venæ



vene quodam, qui cum formosam puellam deperiret, in furorem incidit vehementem, ut parentes coacti fuerint illum, vineulis detinere, in quo furore vitam longo tempore ducens naturæ tandem debitum reddidit. *Ajax Telamonis filius*, præ irâ & indignatione, quod arma *Achyllis* obtinere non potuerit, Maniacus evasit, atque se ipsum confodit, de cujus cruore hyacinthum crevisse *Ovidius* fabulatur.

**XXXVI. 6. Evacuaciones consuetæ suppressæ ad invehendam Maniam sufficientem etiam subministrare possunt materiam, præsertim menstruorum & seminis excretio impedita.** Ita, ex mensstruis retentis & ulceribus in crure curatis, Maniacam factam observavit *Forest. l. 10. obs. 24.* Idem nobili matronæ accidisse notat *Platerus prax. l. 1. c. 3.* quæ licet alioquin honestissima, propter seminis tamen ex diuturno mariti morbo retentionem, tanto furore correpta fuit, ut tam homines quam Canes ad congressum verbis gestibusque turpissimis invitare non erubuerit. Huc etiam pertinent *hemorrhoides & varices sublatae*: sic referunt *Marium* evasisse immanissimum, postquam varices ex cruribus fuerint exenta. *Sanguis post partum non excretus*, sed ad partes superiores raptus, tale quid etiam excitare valet; & dubio procul de hoc casu loquutus est *Hipp. s. apb. 40.* dum inquit *γυναιξιν ούλοσην ἐς τῆς πηθῆς αἷμα συστέφεται, μάλιστα σημαισι* *Galenus in comm.* refert se hoc nunquam vidisse, & si accidat, esse ex iis, quæ raro eveniunt, & talem esse causam ubi sanguis fervens per totum corpus delatus caput petit, cujus pars quæ ad mammæ fertur in lac permutari nequit, propter summum fervorem & abundantiam. *Hieron. Mercurial. Prax. l. 1. c. 16.* reprehendit *Galenum*, & veritati, *Hippocraticæ* magis consentaneam proferre conatur sententiam, dicitque, sanguinem in mammis collectum, si non convertatur in lac, necessario putrescere, eò quod ineptus sit lacti generando: unde, quemadmodum ubi fit putrefactio, vel in pulmone, vel in latere, cerebrum compati, & fieri deliria, ita putrefacto & combusto sanguine in mammis, vapores tetros communicari cerebro, & consequenter furorem induci; & sic *Galenus* sententiam planè dilutam credit. **Ve-**

rum

rum ad scopulū, non ad scopū appulit *Mercurialis*, hinc magis falsitatis arguendus videtur, qui ex putrefacto in manīs sanguine, ubi non facile potest non febris adesse, confurgere Maniā asserit. Patet id ex exemplis, putrefactione scilicet in pulvere vel latere, ab ipso *Mercuriali* prolatis, quib9 semper febris jungitur; neq; ratio deest: si enim putridi vapores communicari debent parti distantiori cerebro, non potest quin prius in consensum trahatur finitimum cordis viscus, cum quo beneficio vaporum multis modis conjunguntur mammae. *Universitatis hujus immortale decus & Lumen, Nobilissimus, Amplissimus & Excellentissimus Dominus Gvernerus Rolfinck, Phil. & Medic. D. Celeberrimus, Practic. & Chym. P. P. Eminentissimus, Consiliarius & Archiater Saxo-Vinariensis Splendidissimus, Preceptor & Promotor menū siliāli observantiā & honore Colendissimus*, non ita pridem mihi retulit *Johannem Prævotium Professorem dum viveret Patavinum* hanc fovisse sententiam, videlicet *Hippocratem* loquutum fuisse de sanguinis post partum collectione, hunc enim sursum repentem, delirium inducere vehementissimum, in quo omnium ferè ciborum usum horrent; idque exemplis confirmasse duarum puerperarum, quarum Mammae tertiā à partu die sanguine repletæ, eodem stillabant suctæ ab infantibus, ambæ septimo à partu quarto autem à furore mortuæ: similemque casum in *Urbe Vinariensi* semetipsum observasse addidit. Quæ sententia *Hippocraticam* cum sapiat veritatem, & nos illam meritò amplectimur.

**XXXVII. Præter naturales causæ,** hanc etiam labem aspergere possunt: sic Pleuriticum curatum, & à febre continuā liberatum, in Maniam incidisse scribit *Forest. lib. 10. obs. 27.* Ex Melancholiā, & Epilepsiā in furorem præcipitatos notavit *Idem obs. 21. in schol.* Ob conviventiam aut subsidentiam cerebri, ex nuncio vel jucundo vel injucundo accepto, quosdam insanientes redditos esse aperit *Hercul. Saxonia Præx. l. 1. c. 17.* Ex ulcere inveterato in brachio curato idem evenisse testatur *Amarus Lusitanus cent. 2 curat. 67.* Idem ex tuberculo in collo oborto, quod iterum sua sponte evanuit *Brassavolus comm. ad aph. 65 s. s. Hipp.* A macula nigra in meningibus cerebri

rebri post obitum sectione inventâ, Maniam observavit *Plat-  
rus l. f. citat.* quod & à vermibus in cerebro genitis accidere  
posse quidam prodiderunt.

XXXIX. Addunt his quidam causam supernatur-  
rale, quando justissimi Dei judicio & permissione, vi Satha-  
nâ homines in furorem rapiuntur. Ita legimus *l. i. Samuel.*  
*16.* quod, postquam Spiritus Domini à Saule Rege discessit, spi-  
ritus malus eum inyasit, & furibundum agitarit. *II. Matth.*  
*9. Marc. 5. & Luc. 8.* de quibusdam aliis à Cacadæmone in fu-  
rorem actis. Quæ cum magis ad forum spectent Theologi-  
cum nihil determinare volumus, verùm id saltem dicimus,  
cum in hisce vera mentis amotio verusque furor fuerit, ad  
nullum alium affectum commodius, quam ad Maniam  
referri posse. Et quanquam à causâ supernaturali dependeat  
malum, tamen rebellem istum Spiritum, immediatè absque  
corporeo objecto vel medio, mentem humanam tantoperè  
turbare, vel prorsus tollere posse vix credimus, hac de re vid.  
*Beat. Hunnium comment. in Evangel. Matth. 17. part. 3. & Beat.*  
*Gerhardum disput. Isagog. 14. cap. 8.*

XXXIX. Differentiæ seu species Maniæ jam propo-  
nendæ veniunt.

I. **Ratione formæ** Mania alia est commune delirium  
cum audaciâ, furore, iracundiâ, multiloquio, saltu, agitatio-  
ne corporis immoderatâ, oculorum frequenti motu, aspectu  
torvo, intrepido, & inverecundo; differt à Melancholiâ, quod  
hæc semper cum metu, & tristitiâ homines corripit, à Phreniti-  
de verò, eò quod in hæc sit putredo & febris, ut supra th. 15.  
notavimus: Et hæc maniæ species, primarius est dissertatio-  
nis nostræ scopus, de sequentibus verò, cum singulæ peculia-  
rem mereantur considerationem, pro materiæ verò explican-  
dæ amplitudine, hæc paginæ non sufficerent, jam agere non po-  
terimus; illarum ergò tantùm nomina, signa, & quæ in cura-  
tione notatu digna, hinc inde thesibus inspergemus; qui verò  
accuratorem cujuslibet speciei desiderat cognitionem, ille  
Authores, quorum in hæc thesi mentio fit, utpote qui plura  
de illis verba fecere, evolvere potest. *Est autem alia in quâ*

D furo.

furori inexplebilis fitis jungitur, cum omnium tamen liqui-  
 dorum metu, & in specie *Hydrophobia* vocatur, de qua supra  
 in *th. 31. plum. vid.* apud *Marcellum Vergilium libr. de cane rabi-  
 do. Ruffum Ephefium apud Aëtium tetrab. 2. ferm. 2. c. 24. Job.  
 Bravum libr. de Hydroph. Stephanum Steffecium, Josephum de  
 Aromatariis tractat. de rabie contagiosa, & Clariss. Sennert. Prax.  
 l. 1. part. 2. c. 16. In aliâ ægroti sermonibus, cantilenis, & carmi-  
 nibus amatoris oblectantur, concubitum maximoperè appe-  
 tunt, vicinosque ad eundem, sepositâ omni pudicitia reveren-  
 tiâ, promiscue inuitant, iisque se prostituunt, dicitur *vel A-  
 mor Insanus, vel Furor Uterinus*. Hujus Maniæ speciem graphi-  
 cè explicarunt *Avicenna l. 3. tract. 4. c. 23. Alzabaravius l. pract. f.  
 2. c. 17. Petrus Garcias Carrero c. 4. ad libr. Galen. de loc. affect.  
 dist. 14. Paulus Zacchias l. 2. quest. Medico-legal. tit. 1. quest. 10.  
 Johannes Lamandus, de naturâ amoris & amantium amentium  
 curâ Clariss. Sennert. Prax. l. 1. part. 2. cap. 10. & libr. 4. part. 2.  
 f. 3. c. 5. In aliâ ægroti ferinos planè & belluinos induit mores,  
 quæ modo appellatur *κωρυαίη*, modo *λοχευίη*,  
 & secundum quosdam duplex est; *Naturalis*, quando inter-  
 dum soli ægri in lupos se conversos esse putant; cujus Maniæ  
 descriptionem legat qui velit apud *Avicenn. l. 3. tract. 4. cap. 16.  
 & 22. Paulum Aeginetam l. 3. c. 16. Hieron. Mercurial. l. 1. c. 12.  
 Alexandr. Massariam l. 1. c. 13. Gulielmum Rondeletium l. 1. c. 43.  
 Hercul. Saxon. l. 1. c. 17. & Petr. Forest. l. 10. observat. 25. & 26.  
 Demoniacâ*, quâdo adstantibus etiam tales apparent, quod sine  
 præstigiis, & incantationibus fieri nequit; huc & referri potest  
 ille affectus, cujus in *th. 37.* mentio facta, de quibus agunt *Nicol.  
 Remigius l. 2. demonolatri. c. 5. Olaus Magnus lib. hist. de gentibus  
 septentr. Franciscus Vallesius de sacrâ Philosoph. c. 28. & Marti-  
 nus Delrio disquisit. Magic. l. 3.***

**XL. 2. Ratione subjeçti alia est essentialis**, quando igni-  
 niculi adfectus primùm in Cerebro gliscunt, indeque cum  
 sanguine ad scaturiginem suam revertente cordi communi-  
 cantur, ibi verò majorè habilitatè acquisiti, mediantibus arte-  
 rijs ortus suos repetentes, mentisq; motus & actiones maxime  
 perturbantes, hoc capiti malum luere possunt : *Alia fit per*

συμ-

συναρπάζειαν, vel totius, vel partis alicujus determinatæ in abdominis regione contentæ, ut hypochondriorum, Uteri, &c.

**XLII. 3. Ratione causæ** tot sunt Maniæ differentiæ quot causarum varietates, *1. Alia* oritur à solo spiritu vitæ exaltato, in aliâ materia etiam conjungitur, quæ itidem respectu causæ materialis diversa; *2. alia* enim resultat à solo sanguine, insigniter fervente, in aliâ simul peccat bilis, aut Melancholia, aut alius humor.

**XLII. 4. Ob temporis diuturnitatem, alia recens est** & nuper nata, *alia inveterata* & adulta, quæ ut plurimum ad mortem usque comitari solet ægrotos; *Ob ejusdem continuitatem*, alia eundem semper tenorem servat, & nunquam intermittit, alia verò per vices exasperatur.

**XLIII. 5. Ratione magnitudinis & vehementiæ** *alia est fortis*, in qua magnum delirium cum vehementi furore & ferociâ, ubi neque precibus, neque adhortationibus, neque verberibus coerceri possunt; *alia verò mitis*, quæ symptomata habet remissiora, in quâ non rarò eò usque mentis compotes sunt, ut ab increpationibus vel plagis sibi metuentes, non nisi torvâ facie vel gestibus aliis ferociam suam demonstrant. Unicum hoc omnibus est commune, quod virgis & ferulis facile coerceri possint, vix enim Maniacum videbis, qui visâ minaci ferulâ, non aliquantum mitescat, & à vehementiâ remittat, quod sanè mirum, pejus enim hæc quam mortem, & ensis mucronem metuunt, ita ut seipfos quidem trucidandos offerant, à ferulâ tamen fugiant.

**XLIV. 6. Ab ætate, sexu, anni tempore & similibus** quæ desumi possunt differentia, cum cuiusvis pateant, non opus est plurima de iis verba ferere.

**XLV.** Accedo itaq; ad signa, *quæ duplicia, διαγνωστικά seu δηλωτικά*, quæ vel dispositionem ad Maniam arguunt, vel imminentem morbi speciem inculcant, vel præsentem signis *παιδογνωμονικῶς* per syndromen collectis commostrant.

Deinde *ægyptiaca*, quæ futurum corporis scilicet morbi statum, & eventum indicant, de quibus paulò post.

**XLVI.** *Signa quæ dispositionem ad Maniam produunt*, sunt obsceni & inepti eachinni, aut qui inebriati, vel etiam sobrii, ob levissimas occasiones, & res nullius momentî, in iram ferocissimam dilabuntur, ut difficile omnino sit cum iis versari; promi etiam sunt ii, qui dormientes insanunt, & vicinos verberibus excipiunt, sic *Rembertus Dodoneus in observat. Medicinal.* mentionem facit cujusdam viri, qui interdium mente & sensibus integris, omnia sua negotia dextrè obibat, quando autem quiesci se dedisset & dormiret, mox insanire cœpit.

**XLVII.** *Instantis signa exhibent* splendores atque inanes imaginunculae oculis obversantes, aurium tinnitus & sonitus, oculorum mobilitas, & si dormiunt, perturbati & leves somni sunt, adest frequens seminis pollutio nocturna, & Veneris tentigo insueta. *Hipp. Coac. Prenot. 157.* docet, qui capitis dolore, siti, levi pervigilio detinentur, & obscure loquuntur in iis fortasse insaniam metuentam. Proximè etiam futuri hujus hospitis prodromos, esse insomniâ horrenda *libr. de insomn. text. 17.* Pulsus cubiti *l. 2. Epid. sect. 5.* Sanguinem in Mammis collectum *sect. 5. aph. 40.* & quorum animus nunc huc nunc illuc fluctuat, corpusq; crebrò movetur *1. prognost. aph. 48. Idem inculcat.* In metu quoq; sunt ii, qui sæpè taciti ac meditantur obstupescunt, & in terram amarulenti conspiciunt, postmodum rursus intra fauces demurmurant.

**XLIX.** *Præsentis signa sunt*, cum ægri falsas sibi fabricant imaginationes, absurda & ineptas quæcunq; modo iis in mentem veniunt, blaterant, cum temeritate, saltu, vociferatione, & rabioso in obvios quosvis impetu, horrendum intuentur, vigiliæ perpetuæ adsunt, & admirando corporis robore valent: variant hæc signa, tam generis quam subjecti & causarum ratione.

**XLIX. I.** *Ratione Generis* facile cognoscitur Mania, ex immani delirio & furore, cum audaciâ & temeritate, sine febre, quibus notis à Melancholiâ, & Phrenitide non ita difficulter distingui potest. Ex moribus conjunctis species

Ma-

Maniæ satis apertè pateſunt: *Canini ostendunt xxxvii. Quætiæ*  
 canum enim more latrant, rixantur, & obvios quosque mor-  
 dent, ac si nequeant, ajunt se ardente mordendi desiderio tene-  
 ri: cujus causam non rectè explicant, qui inflammationem,  
 faucium constituunt, ejus enim in tribus cadaveribus dissec-  
 tis, nulla vestigia deprehendere se potuisse, *Anatomicorum.*  
*Germaniæ famigenatissimus Dn. D. Rolfinck* me edocuit. Exem-  
 plum auditu horribile recenset *Experientissimus Salmuth. cent.*  
*1. obs. 96.* de Nobili quodam à cane melitæo, quem in deliciis  
 habebat rabido, in facie commorso, & seminaria istius vene-  
 ni diu in sinu suo quasi fovente, quæ verò tandem repentè  
 eripuerit. *Postquam enim is* [verba sunt Salmuth] *aliquot an-*  
*nos, nihil incommodi ex morſu illo ſenſit, animum ad virginem ap-*  
*plicans, eam in matrimonium duxit. Cæna itaq; Nuptiali peractâ,*  
*& Sponsâ ad lectum genialem deductâ, agnati eam paulò post va-*  
*gientem & lamentantem audiunt, unde joculari, ridere, & lusum ve-*  
*nereum putare.* *At ejulatu isto in multam noctem continuante,*  
*fores Camere obscuras vi effringunt, irrumpunt, & Sponsum*  
*faciem Sponse, itcmq; scapulas, brachia & loca illa carnosiora, ca-*  
*nis planè more dentibus arrosisse, & nondum ejusmodi morſibus ſi-*  
*nen imponere inveniunt; hoc itaq; tristi spectaculo, & atroci faci-*  
*nore admodum percussus, illum animo irato & percito statim interſi-*  
*ciunt: verum & ipsa nova nupta eadem quoque nocte moritur.*  
*xxxviii. Quætiæ* facit homines caterorum conversationem,  
 fugientes, in latebris & circa sepulchra degentes, noctu tan-  
 tum vagantes, unde secundum *Aëtium tetrab. 2. serm. 2. cap. 11.*  
 crura habent perpetuis ulceribus referta, vel propter morſus  
 canum, vel varios alios casus, qui frequenti per noctem ejus  
 partis offensione accidunt. *vid. 99. Quætiæ* notificant faciei ru-  
 bor, oculi torvi, spuma ex ore manans, vox rauca, sudor in  
 facie apparens, perpetuæ querelæ de siti, atque ubi tandem,  
 res ad extremum est deducta, aquam & omnia liquida aded  
 abominantur, ut emori malint, quam bibere aut ad aquam  
 deduci. *Amorem Insanum & furorcm uterinum* signant lasci-  
 va oculorum huc illuc volutatio, si amici vel amicæ mentio  
 fiat, aut is vel ea visui objiciatur, non solum in vultu, sed & in  
 pulsu

pulsu mutatio deprehenditur, tales homines sunt garruli, lascivi, tumultuantur, de consortio venereo sine pudore loquuntur; aliosque ad explendam libidinem sollicitant. *Demonem morbo se immiscuisse patet*, si ægri ad impia stimulantur, ad desperationem, & maledicendum Deo adigantur, futura prædicant, per vomitum talia quæ naturaliter in homine generari non possunt ejiciant. Exemplum qui desiderat, habet apud *Franciscum Hildesheim spicileg. 2. pag. 186.* Imprimis, linguæ si peregrinis quas nunquam didicere loquantur.

**L. 2. Ratione subjecti**, in essentiali delirium non modo continuum est, sed & uniforme, & actionum cerebri læsiones gravissimæ. Sympathica ex partis affectæ, cui malum hoc suas primitias debet, & in quo primario stabulatur, signis cognoscitur, interdum etiam quasdam habet remissione, sexceptâ illâ quæ per consensum totius oritur, hæc enim nunquam remittit.

**Ll. 3. Ratione causarum**, alia fit sine materiâ, alia cum materiâ: *que sine materiâ* fit cognosci poterit, quod nulla redundantis materiæ signa adsint, de quibus mox dicendum erit, quod causæ præcesserunt solâ caliditate nocentes, ut mora sub radiis solaribus diuturnior, exercitium & motus corporis vehementior, curæ & cogitationes intensiores & continuata, vigiliæ nimix, usus vini generosioris & aliorum præcalidorum largior; hæc si præcesserunt, nulla percipitur capitis gravitas, nullaque pars alia, quæ cerebro materiam communicare potest, onusta est & malè affecta. *Si materiâ simul conjungitur*, erit illa vel sanguis fervidior redditus, à quo delirium quidem ferox, sed mitius multo quam in aliis Maniæ speciebus, ægris ridiculosæ imaginationes occurrunt, adeff oculorum rubedo, cum vasorum totius corporis, præsertim frontis, temporum, & oculorum inflatione, saltus immodicus sine ullâ causâ manifestâ, nonnunquam etiam soni, ob vapores auribus obversantes, ut credant se musicos & tibicines audire: præcessit diæta laudabilis, & quæ sanguinis copiâ producere apta est, corporis constitutio in calidum & humidum.

ver-



vergens, confveta aliqua sanguinis evacuatio, ut hæmorrhoidum, mensium, lochiorum, hæmorrhagiæ narium, venæsectionis, & cucurbitularum omiſſa vel ſuppreſſa. *A bile* ferarum modo redduntur effrenes, iracundi, temerarii, ut etiam quidam familiares tanquam inſenſiſſimos hoſtes violaverint, vel quod miſerabilius proprias ſuas carnes commederint: temperamentum quoque eorum, ætas, tempus anni, æris conſtitutio, & præcedens victus redundantem bilem coindicant. *Melancholiam arguit* delirium minus ferox, cum animi intentione & ſtudio, cogitationibus profundis, & reſpectu delirii ex ſanguine & bile, cum aliquo mærore, timore, ſubdolis geſtibus; ſuntque hi maligni, ſuſpicaces, immites, inexorabiles, pertinaces, cum quibus ſi ægri temperamentum, ætas, victus ratio prævia, tempus anni & aliæ cauſæ conſenſerint, certius de hoc iudicium habetur. Reliquarum cauſarum, tam congenitarum, quàm adventitiarum propter errorem aliquem externum ſigna, facile ex adſtantium ſeu familiarium ſermone cognoscere poſſumus.

LII. *Περί γνωσις* conſideratur **I. Ratione Generis**. Nullum deliriū bonū, inquit *Galen. ſ. 6. aph. comm. 53.* unde & Maniacū, quamvis ſimpliciter lethale nō ſit, periculo nō caret; nobiliſſimarū enim partiū, Cordis & Cerebri imprimis, quod multū à naturali ſuo ſtatu recedit, ægritudinē ſequitur, cum vehentiſſimis ſymptomatibus. Deinde non raro propter infaniam ægrotantes ſemetipſos jugulant, ſuffocant, vel in puteos quod frequentiſſimè accidit, aut de eminentiori aliquo loco ſe præcipites dant, aut fame pereunt, cum præ furore nullum cibum ſibi ſumendum decernant. Facilior tamen eſt ſecundum *Hipp & Galen. loc. cit.* quæ cum riſu ſit, quam quæ cum ſtudio vel exceſſivâ ferocia. Perniciſſima omnium eſt Hydrophobia, quæ ſi radices egerit, ſemper lethalis.

LIII. **2. Ratione ſubjecti** deterior eſt *Essentialis*, in qua primariò affectum cerebrum eſt, levior verò *Sympathica*, quæ ex aliâ parte ſub hypochondriis contentâ dependet.

3. Ra-

LIV. 3. Ratione caussarum minus periculi habet, neq; diu durat sine materiâ inducta Mania; si verò humor jungatur, pro ejus varietate etiam effectus variat; quæ enim à sanguine oritur reliquis mitior esse solet, fit cum risu, & symptomatibus benignioribus, cui periculosior illa est, in quâ succus Melancholicus peccat; quæ verò bili flavâ aut vitellinæ originem debet, inter reliquas pro pessima censetur, omnesque illi affectus, qui à plerisque atræ bili attribuuntur, hic manifestius apparent.

LV. 4. Ratione longitudinis inter diuturnos affectus referri potest, & nisi in tempore, aut totaliter extirpetur, aut maximâ ex parte mitigetur, ad extremum vitæ terminum comitari solet ægrotos; facilius verò medicamentis cedit, quæ nondum inveterata, quam quæ jam radices egit, ut & illa quæ interdum remittit, quam quæ sine ullâ remissione affligit.

LVI. 5. Ratione Eventus: *Salutis presagia sunt*, si notabilis aliqua humoris peccantis fiat evacuatio, per hæmorrhagiam narium, largum alvi, mensium, & hæmorrhoidum fluxum, item per sudorem copiosum, vel varices supervenientes, unde Hipp. s. 6. aph. 21. Τῶσι μαννομένοισι κισσῶν ἢ αἰμορροΐδων ἄπρηγενόμενων, τῆς Μανίης λύσις. Hic Aphorismus, quanquam secundum Galenum in comm. ut supra etiam lib. 3, innuimus, potissimū de Melancholico delirio intelligi debeat, in quo sæpius talis solutio fieri solet; cum verò non raro ad productionem Maniæ, etiam melancholicus humor symbolum suum addat, non malè & huic furori accommodari videtur. Deinde si vitiosâ materiâ ad alias partes depulsâ, in affectum mutatur alium, sic Hipp. s. 7. aph. 5. Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερία, ἢ ὑδρωψ; ἢ ἔκτασις, ἀγαθόν; ubi ratione dysenterię & hydropis, humoris quidem ad alias partes fit translatio; ἔκτασις verò ob fortis naturæ, cum causis Maniæ inducentibus, pugnam & dimicationem quæ crisin præcedere solet, oritur. Idem Prænot. Coac. 484. ἐπὶ μανίης ἐς βρογχον μὲν βηχὸς δὲ πύσσις. Si enim humores aciores & calidiores à Cere-

Cerebro ad asperam arteriam protrudantur, tussis cum raucedine excitatur, maniaque solvitur, facta ejus in tussim transmutatione. *Et Coac. seq. 485. εν πῖσι μανικώδεσι σπασμὸς πρὸσγεύομεν* Ⓞ, ἀμαύρωσιν ἔχει. Per ἀμαύρωσιν *Diretus & Hollerius in comm.* non oculorum affectum, sed ipsam mortem intelligendam esse putant. *Ad interitum* verò sit solutio, nisi ægri sibi metipsis violentâ manu animam corporeis custodiis exturbent, per virium *διάλυσιν*, cujus causâ sunt, motus violenti, quibus continuo ferè exercentur ægri, item vigiliæ nimix, fames, & malitiosa à cibo abstinentiâ, quorum injuriâ spiritus pedentim dissipantur, indeque vires exhariuntur.

LVII. Hisce præmissis, ordinis ratio postulat, ut ad curandi methodum disquisitionis nostræ filum dirigamus; quæ quomodo sit instituenda, communia ejus instrumenta. *Indicationes, præservatoria, curatoria, & vitalis*, ostendunt. *Præservatoria* monet, ut causâ antecedentes, & præcathartica, vitiosos & noxios humores coacervare apte natæ, omnibus modis averruncetur, humores irruentes intercipientur, quantitate molesti imminuantur & excludantur, qualitate manifestâ peccantes corrigantur, occultâ verò lædentes remediis occulto modo agentibus debellantur. *Curatoria* ipsum *spiritum vitæ exaltatum* aggreditur, istum alterando, sociumque humorem evacuando, ad pristinum statum reducitur. *Vitalis* denique indicatio *subjecti* rationem habet, & partium, tam primariò affectarum, quam per consensum laborantium vires, specificis roborantibus, victuque conveniente, firmas conservat, prostratas verò restaurat: ubi Symptomatum, præprimis vigiliarum, virium imbecillitatem inducentium, mitigatio non negligenda. Absolvitur autem triplici præsidiorum genere & adparatu; *Chirurgiâ, Pharmaciâ, ac Dietâ.*

LIIIX. *Chirurgia.* Ubi primo loco sese offert generosissimum auxilium *Venæ sectio*, ad quam tanquam ad sacram anchoram, ferè omnes, tam Veteres quam Recentiores

E ores

tiōres confugiunt, multiplici experiētiā edocti, multos Maniacos ferē solā V. S. ritē celebratā, ad sanam mentem rediisse, pristinaēque sanitati fuisse restitutos. Circa ejus autem administrationem consideranda veniunt, *Tempus, Locus, Modus, & Quantitas.* *Tempus* quod astinet, quo vis quidem tempore convenit V. S. majore tamen utilitate, mox in principio, antequam malum radices agat, sanguis detrahatur. Unde *Mercurialis l. 10. c. 16. omnem vim curationis in celeritate phlebotomie postam esse, docet.* Præstat tamen prius lenitivum aliquod, aut emolliens Enema præmittere, ne vitiosi humores primis inhaerentes viis, ad venas inanitas rapiantur. Planetarum etiam nec non siderum Coelestium, felices situs & aspectus, si prudens observabit Medicus, de feliciori eventu non est, quod dubitet. *Avicenna l. 4. fen. 6. tract. 4. c. 9.* In iis, qui à canerabido morfi non statim venam secandam, sed prius sudorifera propinanda esse præcipit, quod ab interioribus ad exteriora venenum protrudatur; & hinc demum V. S. cum primis si plethora adsit, prodesse autumat. *De Loco variæ Artis Procerum sunt sententiæ: Aëtius tetrab. 2. ferm. 2 c. 8. primo cephalicam, & si hæc non appareat, medianam,* (quam cum *Avicenna nigram* vocat) si verò hæc quoque visum effugiat, venas circa talos præ primis in mulieribus, & hinc demum *salvatellas* manuum pedumque *saphenas* recludere scribit. *Avicenna l. 3. fen. 1. tract. 4. c. 17.* prius majores, factā verò purgatione, sub linguā venas tundit. *Mesius de agritud. Cerebr. c. 25.* incipit à *basilicâ*, deinde si plethora adsit, *medianam*, si verò malum tantum in capite hæreat, *cephalicam* aperit, si menstrua suppressa, aut hæmorrhoides vel lochia non fluant, *saphenas*, tandem verò *venas frontis* incidit, quem plethoricæ Recentiorum sequuntur. Nobis placet, in principio, si corpus plethoricum, neque menses, hæmorrhoides, vel lochia subsistant, sine discrimine quamvis brachii venam oculis magis obviam recludere; si verò magis refrigerare volumus, quam evacuare, præstat *salvatellas* manuum, in fæminis autem pedum *saphenas*, vel quæ ad pollices pedum excurrunt, aperire. Hinc plenitudine totius sublata, ab artis perito Chi-

Chirurgo etiam aliarum venarum incisio, videlicet linguæ, narium, frontis, hæmorrhoidum, & ponde aures, cum frustra administrari posset; quanquam narium venæ minori cum periculo, pennæ, setæque equinæ stimulo, *vel ut habet Mercurialis*, foliorum millefolii affrictu vulnerantur. Venis verò hæmorrhoidalibus & post aures optimè hirudines applicantur; de quibus postea. *Famigeratissimus Medicinæ Ocellus D. Slegelius, in succinâtâ, de venar. secundar. delectu disputatione*, venas mammarias, jugularis internæ propagines, in nostro affectu non sine successu olim incisas esse, scribit; quas si peritue ad manus sit Chirurgus, in viris nec hodiè negligendas esse censemus, quum ex arteriis caloris fonti propinquiorebus sanguinem recipiant. *Modus*. Quoniam verò ejusmodi ægroti, ceu mente capti, ab orbitâ obedientiæ ad gyrû contumaciæ declinant, nec facile permittunt, ut Chirurgus, Medico monente, hanc vel illam venam aperiat; omnibus modis eò incumbendum, ut vel blandiloquiis persuasi, ipsimet brachia porrigant, vel si id renuant, præsentî circumstantium, robore subacti, vinculis lecto affigantur, & Chirurgi moniti morem gerere cogantur. Foramen non fiat amplum, quò vulnus eo citiùs coalescat; quod etiam accuratè deligandum est. Opera insuper est danda, ut famuli ægrum custodientes diligenter observent, ne ex nimîâ & violentâ commotione, ligatura referetur, & ex copioso sanguinis fluxu ager in præsentissimum vitæ periculum præcipiteretur. *Quantitatem*, & quidem *continuam* quod attinet, *Mesueus loc. cit.* largam esse debere scribit V. S. *Aëtius loc. cit.* in sanguineâ ad sibi usque evacuat sanguinem. In Lycanthropiâ ad animi deliquium, cruorem emittit *Massarius l. 1. prax. c. 23.* Sic paucis ab hinc annis Nobili cuidam Germano maniaco, solâ ferè V. S. ad animi deliquium, superveniente somno quatuor horarum pristinam sanitatem mentemque felicissimè restituit *Famigeratissimus D. Rolfinck, Patronus meus maximus.* Quoad *quantitatem discretam*, præ illâ, quæ ex pluribus venis simul & confertim fit, approbamus nos eam, quæ per *Strieggow*, & si opus, interjectis humorum præparationibus, sanguinem

evacuat, quod etiam insinuat *Clariff. Sennert. Prax. l. 1. part. 2. c. 15.* Et *Lazarus Riverius Regis Gallie Conflarius & Medicus Splendidissimus Prax. l. 1. c. 12.* Testaturque *Platerus supra citatus*, à Chirurgis quibusdam vigefics & sexagesics etiam, in diversis corporis partibus venæ sectione adhibitâ, innumeros fanatos fuisse, ut postmodum salvi & incolumes vitam per multos annos duxerint. Nimirum quum sanguis in suis thecis insigni æstu ferveat, tumultuetur, & insolenti impetu ad vitæ fontem, & mentis arcem ruat; non solum sui diminutionem, sed refrigerationem, ventilationem, & interceptionem desiderat, quod commodè fieri potest, sanguine è diversis locis, & per intervalla detracto, quam si ex unâ solum venâ educatur.

**LIX.** Arteriotomiam quidem in Maniâ damnabant olim *Aurelianus*; verum quum sine rationibus id fecerit, meritò à *Marco Aurelio Severino in effc. Chirurg. part. 2. enarrat. de angiolochiâ* taxatur, in signè hujus auxilii usum ibidem ostendente. Commodissimè arteriæ temporalis propè supercilia ad frontem repentis ramus dividi potest, exinde cum usque ad animi deliquium vitalis succus profundatur, & Medicamentû, *cujus Galenus l. 5. Meth. Med. c. 4. meminit*, ex alœ, thure, & pilis leporinis cum albumine ovi subactis, paratum, vulnusclo admoveatur, plagulis appostis, eomodo ut in vulneribus capitis, deligatio fieri debet, quam per quadriduum detinendam esse censet *Ambrosius Paræus l. 16. c. 4.* Verum cum nostris in locis, Chirurgorum talis sit ignorantia, ut arteriotomiam tentare non audeant; insipientes etiam, ut *thes. præced. notat.* maximè effrenes sint, nec facile Chirurghi manum admittant, metusque sit, ne ritè quoque peractâ operatione, & deligatione, sigillatam cruoris thecam, cum præsentissimo vitæ discrimine temerarij referant, de succedaneis ejus non nihil dicemus.

**LX.** Ubi primò loco se se nobis offerunt *Hirudines*, quæ nisi laborantis inobedientia prohibeat, venis sedalibus, item temporibus, fronti; post aures, vel ipsis etiam auriculis (præmissis tamen præmittendis) cum fructu affigi possunt; quan-

quanquam *Aurelianus loc. cit.* totam corporis superficiem illis replendam esse scribat *Cucurbitulae* cum scarificatione iterata & profundâ, primò partibus inferioribus, & exinde superioribus etiam applicatâ, non omnî carebunt commodo, quas tamen post multas tantum venâ sectiones adhibere, consultiſſimum esse cenſet *Lazarus Riverius*. Imprimis autem proficuae sunt in morſu canis rabidi, ubi utiliſſimum erit, cucurbitulam maximâ cum flammâ, vulnere prius scarificato admove-re, totus enim curationis cardo in principio, circa veneni extractionem verſatur: vulnus verò monente *Avicennâ l. 4. fen. 6. tract. 4. c. 9.* intra 40. dies consolidari non debet.

**LXI.** *Cauteria* cum primis *actualia* à multis valde extolluntur, *Rhazes libr. de cauter. & Nicol. Piſo libr. 1. de cur. morb. intern. c. 24. nec non Bernhard. Gordonius oper. ul. med. part. 2. c. 19.* futuram coronalem igne tentare ſuadent: vapores enim ferventes & incensos beneficio hujus cauterii, è capite exhalatione diſſipari, perſuaſum ſibi habent: probatque id *Gordonius* experientiâ cujuſdam Maniaci, qui dum vulnus capitis apertum gereret, à furore liber fuit, vulnere verò ſannato, in eundem rurfus incidit, *Garipontius l. 1. curat. morb. c. 10.* utraſque occipitii partes cauterizare mandat. *Andreas Caſalpinus libr. art. med. c. 18.* laudat eos, qui ſynciput inurunt longis quatuor cruſtulis, quæ formam crucis referant. *Dodonæus in Medic. ſuis obſerv.* cauterio in nuchâ poſito maniacum curatum vidit. *Severinus libr. de offic. Med.* quandoquæ quinque, quandoque ſeptem cauteria furioſis cum felici eventu admovit. Videntur quidem talia cauteria capiti majorem inducere fervorem, adeoque eſſe inutilia, ſed reſpondet huic objectioni *Epiphanius Ferdinandus in hiſtor. Medicinal.* dum ait: *mirum eſt, quam his cauteriis refrigeretur cerebrum, & parvi retrique vapores diſſipentur: & licet primis diebus ſoleant concitare aliquem gradum caloris, tamen major eſt emolumentum, quod poſtmodum inde ſequitur, quam puſillum aliquod damnum ex impreſſo igne.* Non verò tantum capiti, ſed aliis etiam locis inuſta prodeſſe cauteria, *Mercurialis* exemplo Nobilis cujuſdam Patavini docet, qui

aliis remediis nihil proficientibus, tandem usu quatuor cauteriorum in brachiis & cruribus ad mentem rediit. Ad hunc scopum collimare etiam videtur. **Trepanatio**, quam ultimum in hoc morbo refugium esse, *Hartmannus in Prax. Chyriatr. cap. propr.* inculcat; prius tamen cum *Antonio Guainerio tract. u. c. 9.* intra coronalem & sagittalem futuram, cauterium potentiale applicare jubet, quod tam diu relinquatur, donec tanta erosio facta sit, ut os nudum appareat; hinc trepano aperiendum Cranium, locumq; per mensem apertum servandum: exempla apud *Severinum* videre licet. Hanc verò tantum circumstantiis omnibus diligenter examinatis, & si alia non juvent, in desperatis diuque incarceratis Maniacis molliendam esse *felicissimus Platerus* censet, quo nomine etiam **Castrationē**, tentare (cum alioquin ad munia humana obedienda planè inutiles sint) svafor est; eam enim temperamentum immutare, virilitatem & animi ferociam; compescere, corpus laxius & humidius efficere, hominesque meticulousos ac effaminatos reddere. Cujus sententia & nos calculum addimus auctoritate *Hippocratis* firmati, qui *sect. 1. apho 6. extremis morbis extrema exquisitè remedia optima esse* scribit, in malo etenim adeo saevo, cum *Celso l. 2. c. 10. satius est anceps experiri remedium quam planè nullum. Frictiones; Ligaturæ*, aliaque viliora auxilia ad mali hujus pertinacis extirpationem parùm faciunt.

**LXII.** Secunda curationis pars **Pharmacia**, quae legitima medicamentorum, tam alterantium, quam purgantium administratione fundata, addenda venit. Si igitur in corpore saburra, quaedam vitiosorum humorum fuerit collecta, ad illam averruncandam, praemisso leni laxativo, si opus fuerit humores sunt praeparandi, postea convenientibus medicamentis purgantibus, pro humoris peccantis qualitate & quantitate expurgandi, sedulaque opera danda, ut alvus quotidie suo officio respondeat. Possunt autem *Lenientia* vel ante V. S. vel statim post eam exhiberi, quò primis viis onere suo levatis, sequentia medicamenta feliciori cum successu virtutem suam exferere valeant. In hunc usum conferunt:

*Cass.*



*Cass. fistul.* quàm omnibus aliis præfert *Massarias, Mann. Tamarind. sirup. rosar. & violar. solutiv. de polypod. epitbym. senâ* Electuar. *de succ. rosar. catholic. diaprun. tamarind. diamann.* &c. ex quibus variæ remediõrum formulæ conficiuntur: præstant tamen, quæ cum aquis specificis, vel sero lactis, in formâ liquidâ propinantur. Non pænitentiam intentioni huic navabunt operam *Clysteres*, ex refrigerantibus & humectantibus compositi, quorum ex albo sunt *radic. altheæ, fol. malv. violar. lactuc. parietar. betæ, flor. nymph. cucurbit. melilot. prunis damasc.* omnibus in aq. hord. coctis, quibus in colat. addi possunt *Cass. pro Clysterib. Electuar lenitia. simplex Catholic. &* alia jam notata, cum ol. *violar. lilior alb. & sale q. s.* Si æger obtemperare nolit, quadrupedem constringito, ut ipsum pronum in lectulo jacere oporteat, inferioreque gutture medicamentum admittere.

**LXIII. Alterantia & præparantia,** quæ refrigerandi, humectandi, visceraque roborandi facultate pollent, purgationibus interdum viam parare possunt: sunt autem ex Radicibus *bugloss. acetos. endiv.* Floribus *violar. nymph. borrag. bugloss. tunicis, papaver. alb. & rhead. rosar. scabios.* Herbis *endiv. lactuc. scariol. portulac. plantag. cichor. asparag. capill. &* Seminibus *q. frigid. major & minor. acetos. psyl. bordei,* ex quibus decocta parari possunt. Vel usurpentur sirupi *de fumar. simpl. bugloss. borrag. scolopendr. papaver. agrest. portulac.* admixtione factâ aquarum *borrag. bugloss. nymph. fumar. lactuc. endiv. cichor. cucurbit. papav. rhead.* cum gurtis aliquot spiritus *Oli striati, & in julepi, vel additis seminibus, emulsionis formâ.*

**LXIV. Præparantibus** prout necessitas postulerit, præmissis, succenturiatur **Purgatio,** quæ habita ratione humoris peccantis, quatenus nempe vel biliosa, vel melancholica visceribus inhæret saburra, etiam sæpius vel rarius iteranda, & modò per mitiora, modò per fortiora instituenda erit. Huc pertinent *Mirobat. polypod. rhabarb. folia senæ Alexand. pilula de s. generib. mirobat. sine quib. aurea, de lapid. lazul. & res. Quercet. item diagryd. & resin. scammon.* ex quibus variæ reme-

remediorum formæ, ut addito *strup. rosar. vel violar. solutiv.* pilulæ; vel cum *sero lactis*; item decoctis, & aquis destillatis refrigerantibus ac humectantibus, potiones; vel saccharo, & confervis convenientibus, boli parari possunt: Si verò tali modo à Maniacis respuantur, cum aliis jucundioribus esculentis & potulentis, in vasis & cantharis usualibus, exhiberi debent. *Massarias* pro optimo purgante habet *confect. Hæmæch. cum cassia, & Mercurialis Been Arabum*, ex cujus granis cum *amygdal. dulc. & sacchar.* morfulos conficit, & furentes illis fallit. Omnes verò Practici unanimiter suadent, *Helleborum nigrum & album* non esse prætereundum, quibus veteres etiam usi sunt, ad eò ut communi proverbio, quos insanire viderent, iis helleboro, aut Anticyrà, ubi copiosè crescebat, opus esse dicerent. Offeritur *decoctum, extractum, mel & vinum helleboratum*, quò *Melampum Amythaonis* Medic. filium, *Regis Argivorum Proeti* filias, quæ se boves esse credebant, restituisse, indeque *Melampodium* dictum esse, *Petræus loc. cit.* refert. Correctio autem nunquam negligenda, ad præcavenda symptomata, quæ interdum à sinistro hellebori usu provenire solent. *È purgans & diaphoreticum* commodè aliis admiscetur. Post purgationem unam atque alteram peractam rursus ea, quæ thesi præcedente proposita, iterentur, additis cor & cerebrum corroborantibus, sanguinemque ex spiritus ab inquinamèto Maniaco specificà qualitate emendantibus, quorum catalogum vide thesi 68.

**LXV. Vomitoria** à nonnullis etiam magni æstimanantur, imprimis si à philtro malum foveatur, vel per consensum ex hypochondriis, utero, &c. generetur. Ita *Cælius Aurelianus* vomitum ex *helleboro albo* sapius repetere jubet. *Massarias* cum *oxymelite, raphano, & helleboro nigro in aquâ tepidâ*, vomitum provocant. *Antimonium* & ex eo parata medicamenta, *virrum, crocus metallorum, flores, & vite* vel in infuso cum aquis vel vino, vel alio modo correcta, palmâ cæteris præripiunt. *Dn. D. Köppen, Medicus Magdeb.* ut in *epist. Medic. Horstii* videre licet, suis florib. *È maniacû cæteris Medicis desperatum, & alium malè sanâ mente præditum, feliciter restituit.*

LXVI.

**LXVI.** Diuretica *Avicenna* & *Mesueus* planè excludunt, nos tamen, cum ob memoriæ non rarò & sensus læsionem, aut lotiū stimulum non sentiant, aut mingere obliviscantur, cum *Paulo* & *Aëtio* mediocriter urinam provocantia admitimus, talia sunt *asparag. anis. dauc. fenicul. petrosel.* & præcipuè *fenicul. magni sylvestris radix ejusq. semen ex aqua quotidie pota.*

**LXVII.** Sudorifera maximè locum habent in iis, qui à cane rabido demorsi, & quidem ante purgationem, ac venæ sectionem, ne virus ad interiora trahatur, quibus fortiora profunt, ut: Extractum *lign. guajac. centaur. minor. Card. bened. Theriaca. Spiritus theriacal. camphor. absynth. Card. benedicti. Flores Sii fixi diraphoret. ☿ Sium diaphoret. Croc. Metallor. diaphoreticus.* Conducunt tamen etiam nostris Maniacis, quippe qui sudoribus interdum judicari solèt, verum eligenda sunt temperata, & minus calida, qualia sunt: *Os. de cord. cervi, terra sigill. C. C. C. alces, lign. visc. quern. lap. cancr. lap. bezoar, ☿ diaphoret. bezoar mineral. & Olare, mixtur. simpl. Panacels.* quæ admixtis specificis cephalicis & cordialibus, in vehiculis convenientibus propinari possunt.

**LXVIII.** Specifica vel cor & cerebrum confortant, vel occultâ proprietate inquinamentum Maniacum respiciunt, talia sunt: *Confect. Alkerm. de hyacinth. Bezoartic. Dre, sacchar. & Crystall. Hni, gabreta & Magister. Cranii humani, perlarium, corallor. Oli, Quint. essent Srtis, Srtii, topazii, sapphir. smaragd. tinctura D, H, F, Oli, sapphir. hyacinth. lapid. armen. & lazul. Spiritus Olio & Olivolatilis, Hni, cerebr. & sanguin. humani, solutio crystall.* quæ sub variis formis præscribi possunt. *Theophrastus l. 2. de virib. membr. c. 4.* laudat arcanum suum de gillâ, de quo etiam *Petraus l. f. citat.* Alii commendant cerebrum arietis nondum venerem experti, cerebrum canis coctum, *fol. buxi. radic. nymph. sanguinem asini* è venis post aures emissum; quorum preparationem & administrationem tradit *Clariss. Sennert. Prax. l. 1. part. 2. c. 15. Quercetanus* mira præstitit decocto, *anagallid. flore pheniceo,* exhibitio, cujus summam in hoc affectu efficaciam nobilitat experien-

F rien

rientia Magnifici Domini Presidii, Promotoris & Patroni mei Magni, qui præmissis aliquot phlebotomiis, solo hujus plantæ decocto, potus ordinarii loco insanienti propinato, eum felicissimè ad pristinum sanitatis statum reduxit. *Solanum tetraphyllum* magni æstimat *Johannes Baptista Sardus*, si viginti diebus, dimidium cochlear pulveris totius plantæ jejuno propinetur. *Accipitris* & *Noctue* pullorum elixas vel affas carnes comestas, proprietate valere, *Platerus* refert. Alii *murem asfatum* comedendum exhibent. Specificum etiam remedium, quod in Illustri quâdam Familiâ *Monspelienfi*, pro secreto gentilitio & hæreditario habetur, describit *Nominatissimus Regis Gallie Medicus Lazarus Riverius loc. cit.* & tale est: *℞. fol. meliss. Mi.* incidantur minutim, & infundantur in *Spirit. vin. ʒiv.* deinde add. *margarit. preparat. ʒss.* Misc. dos. cochlear. ij. Si sit à *philtro* propinato, specificum esse creditur *nasurtium*: si vero à potu *hyosciami*, hæc muliebre alexipharmaci loco convenire *Petrus* prodit. *Magnificus Nobilissimus, Amplissimus, & Experientissimus Dn. Melchior Sebizius, Medic. Doctor, & in Celeberrimâ Argentonensium Universitate Proff. Publ. Famigeratissimus, Sac. Cesar. Palatii Comes Eminentissimus, & Reipubl. Argent. Archiater. felicissimus, Dn. Patronus & Preceptor meus etatè suscipiendus, in tractatu suo de Medicamentorum Facultatibus aureo, mibiq; cum studiorum gratiâ per triennium, ibi commorari in singulari benevolentia signum communicato, refert: Maniæ, ab acinis solani furiosi comestis profectâ, præsentaneo esse remedio *vinum generosum* copiosè haustû; & post demorsum à cane rabido, *pimpinellam* aliquot diluculis sumptam, ab hydrophobiâ præservari. Si à veneno per morsum animalis rabidi communicato, post scarificatam partem vulneratam, & extractum per cucurbitam sanguinem *Avicenn. l. 4. seu. 6. tr. 4. c. 9.* tanquam specificum laudat *caneros fluviales*, Ole in leonis signo existente captos, & in furno tostos cum *gentianæ* anaticâ proportione in vino propinatos; nec non *dentem canis rabiosi* collo amulèti loco appensum. *Galen. l. 6. de simpl. Medic. facult. Alyssum.* suum commendat. *Hepar. Merg.* illatum cum paucò oleo & sale comestum probat.*

Aërius

*Aëtius. Hippocampum Marinum* assarum comedendum præbuit filioliis à caniculâ rabiâ commorsis, piscator quidam, maximo cum successu referente *Æliano l. 9. c. 20.* Horum tamen omnium proba penes experientiam est, ut optimè *Clariss. Senneri, l. cit.* docet, ubi & amuleta quadam à nonnullis summis encomiis ornata recenset.

**LXIX.** Quum *Vigiliæ* admodum infensa sint, atque delirium Maniacum maxime foveant, omnibus viribus eo incumbendum, ut somnus provocetur, quo solo & debita humoris peccantis evacuatione plurimi ad mentem rediunt. Huic usui inserviunt remedia tam internè quàm externè adhibita. Internè prodest *aqua frigida* potus largissimus, qui assuetis statim post venæ sectionem, & quidem si sitiant per intervalla ad libras aliquot concedi potest, præstat tamen si cum *succo limonum, citri vel spiritu ☉ & ☽ striato* aqua fuerit imprægnata. Si non sint assueti visceraque naturâ debilia obtineant, loco aquæ *serum caprinum*, cui incosti sint *flores violar. vel nymph.* porrigi debet: vel fiant emulsiones ex seminibus frigidis cum aquis hypnoticis: quæ si insufficientia fuerint, recipienda *srup. de papaver. theriac. recens, requies Nicolai, philonium, pilul. de cynogloss. nepenthes Quercetani, narcoticum tabulatum Plateri, & laudamum opiatum Pamelss,* quod in clysteribus usurpatum, satis potenter & tutius somnum conciliat, quàm per os assumptum. *Avicenna* propinat *diacodium cum aqua granator: dulc. vel. aq. bord.* ut humectet, aut cum *srup. de prunis* ut simul leniat. Externè adhibentur embrochæ & lotiones capitis, quæ non solum somnum inducere, sed intemperiem cerebri calidam corrigere possunt cum decoct. *folior. lactuc. portulac. salicis, vitis, flor. rosar. nymph. violar. capit. papaver.* item oleis & ungentis soporiferis, ex oleo *violar. nemphar. papaver. nuc. mosch. unguent. populeon. & alabastr.* quibus addi potest momentum *opii*, vel *laudani opiati.* *Jobannes Arculanus comm. in libr. 9 Rhazis ad Almanfor. c. 3.* multum tribuit unguent. ex *öl violar. & lacte muliebri* parato, quo caput inungendum. *Hercul. Saxon. naribus unguent. popul.* addito *opio vel essentiâ opii* illinit. *Opium*

in lacte dissolutum naribus apponit *Rondeletius*. *Martin Rulandus curat. empyric. cent. 1. curat. 17.* sequenti hypnotico *Maniacum* restituit, *R. aq. rosar. ʒ. x. opi ʒ. ʒ. Croc. ʒ. ʒ.* Linteolis frequenter applicabat tepide temporibus, fronti & naribus. Pertinet huc quoque *balneum aquæ dulcis* tepidum, cuius beneficio ipso *Galeno* monēte unâ, quod ajunt, fidelitâ duos dealbare parietes, somnum scilicet conciliare & æstuantem corporis fervorem contemperare possumus; *libr. 4. de sanitat. tuend. c. 4.* inquit *Conducit ad somnum non in postremis ipsum quoque balneum, sunt enim, qui eo usi sunt, omnes magis ad somnum propensi.* Et *libro 1. de us. part. c. 13.* *Nihil invenies quod valido æstu occupatos, præsentius refrigerare possit, quàm balneum.* Utrumque tamen facilius præstabitur, si cum herbis refrigerantibus & humectantibus paretur, utpote sunt *Malva, violaria, lactuca, plantago, sempervivum, lens pallustris, polygonum, buglossum, portulaca, papaver* & alia. In quem finem cordis & hepatis regioni algifica quoque adhibeantur epithemata, quæ & testibus applicata maximoperè conducunt, iis enim ex sectis vel refrigeratis animositas (ut supra *tb. 61.* indicatum) mirum in modum corrui.

**LXX.** *Dixta* quantum per ægri ferociam fieri potest his omnibus respondeat. **1.** Aër in qualitatibus activis, sit temperatè frigidus, in passivis humidus; sit etiam purus, nullis inquinamentis infectus, leniter & suaviter spirantium ventorum flatibus mediocriter agitatus, & si natura talis non sit, arte parari debet, spargendo per conclave *flor. violar. rosa. nymph.* item *fol. vitis, salic. lactuc.* vel irrorando cubiculum *aquâ fontana, vel aq. rosar. nymph. lactucæ.* Locum quod concernit, *Veteres* ferè omnes in tenebris habebant. *Maniacos, Asclepiades* tamen in lumine tenendos esse dixit: sed neutrum perpetuum esse, & optimumq; utrumq; experi, ac eum qui tenebras horret in luce, eum verò qui lucem, in tenebris continendum esse *Celsus l. 3. c. 18.* docet; picturæ & alia quibus phantasia magis irritetur, removeantur.

**LXXI.** **2.** Cibi exhibeantur quoscunq; appetunt, etiam si minus commodi sint, ac convenientes respuendo, vi-

rium

rium patiantur iacturam: sunt enim quidam adeo pertinaces, ut fame perire malint, quam cibum qui non ad palatum illorum facit assumere: ita vidi ego *Argentorati in Nosocomio Maniacum* claustro detentum, qui solo pane & vino contentus, reliqua alimenta, præprimis actu calida, penitus detestabatur. Si verò arbitrio Medici se subjiciant agri, dentur in quantitate mediocres, in qualitate verò refrigerantes & humectantes ut sunt *juscula carniū, ptisana, bordeum decoratum, fructus horarii, cucumeres, pepones, pruna, mora, fraga, cerasa & poma subacida, carnes pullorum gallinaceorum, agnine, vitulina, elixæ* potius quam assæ, quæ condiantur *borng. lactuc. endiv. asparago.* Aromata verò & *saccharum* è ciborum condimentis exterminentur. Ex piscibus eligantur saxatiles & friabiles, elixi non frixi, quibus condimenti loco addi possunt, *cappares & flores geniste conditi*: grandiores, duri, viscosi, & fumo indurati pisces minimè offerantur. *Panis* sit similagineus, qui vel in jure carniū, aut alio liquore, convenienti usurpetur.

**LXXII.** Potus aque iis qui assueti sunt non obest, sit tamen pura, limpida, & lucida. *Avicenna* aquam in quâ ferrum extinctum laudat. Alii *aquam pancatam*, in quâ scilicet, crusta panis tosta aliquandiu maduerit. *Mercurialis* succum prunorum & pomorum cum aquâ propinat. Valeat *vinum*, assuetis tamè *ὀλογοφόρον* & dilutum interdum concedendum, ejus loco exhiberi potest *succus granatorum acidorum, cum tincturâ rosarum*, putant enim esse vinum. *Cerevisie* vicem supplere potest *decoctum hordei*, in quò *passul. radic. eichor. acetos.* vel simile quid incoxerit. *Serum Caprinum* in quo *epithymum* infusum plerique commendant. Omnibus verò palmam præripit *decoctum anagallis*, cujus in th. 68. mentionem fecimus.

**LXXIII.** Somnus eo, quo diximus, modo conciliatur, quem si viderint ægroti, soli tamen relinquendi nō sunt, ne de repente expergefati, vel de fenestris, vel foras erumpetes, de scalis, se præcipientes dantes, vitæ periculum incurrant.

**LXXIV.** Nimiū motus aut ministrorum mani-

bus aut vinculis infringendus est: vincendi autem sunt, non catenis ferreis, ut plerique facere solent, ne strepitu eorundem magis commoveantur, vel solo etiam aspectu catenarum irriterentur, sed potius vinculis, ligamentis, & foris, ex corio vel panno paratis: dum autem in vincula conjiciuntur, quantum fieri potest verbis persuadendi sunt, non dedecori aut ignominie ipsis fore, sed aliam aliquam de causa non ingrata fieri.

**LXXV.** *Ανιμι παθηματῶν.* Omnia quae animos agrotorum turbare, eosque ad iram, furorem, vel mororem commovere possunt, averruncanda, & ex eorum conspectu procul amovenda sunt: ut vociferationes, jurgia, rixae, ejulationes, planctus & ejusmodi: non adjungantur ipsis exosi, & ii, quos vel averrantur, vel metuunt, sed amici & familiares qui suavis & gratis colloquiis ac confabulationibus eos exhilarare, interdum etiam leniter corripere possint. Quantam vim in demulcedis furi osorum animis *Musica* obtineat *Cassiodorus* eleganter docet, dum l. 2. *variar*, 40. inquit. *Musica tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam savitiam efficit blandam, sanat mentis tedium bonis cogitationibus semper adversum.* Quod exemplum *Saulis Israhelitarum Regis lib. 1. Reg. cap. 16.* testatur, qui quoties furore correptus nullo alio remedio ad hilaritatem melioresque cogitationes revocari potuit, quam suavi harmoniam *Musica*, quod *David* Cytharam suam egregie praestitit.

**LXXVI.** *Excretiones naturales* ut decenter fiant procurandum: Urina si subsistat, fotibus aliisque supra traditis est irritanda: Alvus quoque quotidie suum faciat officium, quae si segnis deprehendatur, glande, clystere, aut alio aliquo laxativo naturae ad expulsionem stimulus addendus venit. Et si semine abundantes ex ejus retentione saviant Patientes. Venus (nisi in celibatu degentibus honestas prohibeat) optimo illis erit remedio; quam, in Mania ex suppressis menstruis oborta, locum etiam habere, auctor est *Alexander Benedictus Veronensis* qui *libr. 1. c. 28.* Mulierem quandam per totam noctem a quindecim Viris venere defatigatam, & hinc lar-



largum mensium, qui annos aliquot substerant, profliuivum  
 passam, non sine magno pudore, diluculo menti sanæ restitu-  
 tam, discessisse, refert. Non æquè tamen Masculis convenire  
 Leonardus Jacchinus comment. in 9. libr. Rhazisc. 15. inculcat: ubi  
 nõ paucos qui Veneri liberalius litarunt in Maniam incidisse,  
 refert. Et admiratione dignum [sed nos ἐν παρῶν!] quod Ex-  
 perientissimus Salmuth. cent. 1. obs. 61. de quodam sibi familiari  
 narrat, cui ex nimio Veneris usu. cerebrum ita exsiccatum fu-  
 it, ut intra cranium. hinc inde ferri audiretur. Si igitur vel  
 honestas vel aliud quid concubitus non admittat, tunc vel  
 mutetur locus, siquidem terram mutare teste Hipp. 6. epid. sect.  
 5. text. 19. secund. Valēs. in morbis longis & secundum Cornel.  
 Celsum l. 3. c. 18. præcipuis in nostro affectu, convenit, vel ex-  
 hibeaſur pharmaca venerem sopientia; qualia sunt fol. nymph.  
 salic. portulac. umbilic. oris, lactuc. semin. agni. casti, & lactuc.  
 condit. caul. lactuc. Italice, &c.

LXXVII. Per consensum si fuerit malum geni-  
 tum, nullã aliã particulari indiget curatione, verum primo  
 genio affectu curato & ipse furor cessabit, ne autem essentia-  
 lis fiat, cerebrum præservare oportet medicamentis conveni-  
 entibus supra notatis.

LXXIX. Hisce, truculenti hujus affectus, γῶσιν - τε  
 καὶ θεογενέων μεθ' ὀνῆν, pro instituti nostri ratione, paucis  
 adumbrasse sufficiat, plura & politiora desiderantem ad Medi-  
 corum Præticorum monumenta & volumina amandamus,  
 nos hoc addito puncto; in magnis voluisse sat sit, ubi non sat  
 posse, hinc vela contrahimus, & manum de præsentis tabulã sub-  
 ducimus. Quod restat, faxit Deus ter Optimus Maximus, ver-  
 gant in Ipsius hæc omnia gloriã, Proximi incolumitatem,  
 & Studiorum nostrorum commendationem. Cui Summo  
 Ἀρχιτάτηω sit laus & gloria in sempiterna seculã.

σφῶν ματῶ B: L. ita corrigat: in proem. lineã. 42. leg. inter th. 6. lin. 6.  
 ἔπῳ & σφῶ. 8. l. 11. aph. 20. add. & 22. 13. l. 2. Arctæus l. 25. ratiocinatr. 15. l.  
 25. quæ tamen omnes del. omnes: 18. l. 4. simile spiribus. l. 11. quam add. quod 16.  
 l. 21. calorem add. ab. 29. l. 8. acuat: simus interpret. l. 141. Hædit. l. 20. Talem.  
 31. l. 2. acria. l. 4. cinamom. l. 21. Lucretium 32. l. 34. levis sentio. 34. l. 8. Alca-  
 maria. 37. l. 8. di. supram. l. 9. Cornax. 36. l. 34. meus. 39. l. 18. in rb. 32. l. 42. in  
 rb. 38. 48. l. 2. inepta. 56. l. 17. quam add. aliã 63. l. 11. cucurbit. 64. l. 31. & spiri-  
 806.

Johnes  
 D. smod f. rontesol

**H**aud omnis furor est bonus, haud malus omnis: Aviti  
Hunc, Coi decus excellens, pepulisse furorem.  
Quando, Beutteli, monstras sat lemmate docto,  
Quis te non plenum poterit recitare furore,  
Isto, qui bonus est, poscente brabea parata?  
Isto perge furore, Tibi Meditrinaq, dignam  
Decernet laurum vel in ipsâ morte perennem!  
Nemo tamen dicat, venâ levioere epigramma  
Hoc dum fundo, Poëtarum me habuisse furorem.

Benevolent. ergo adponeb.

Gothofredus Mæbius D. hod. Acad.

Rector. Praeses.

**G**Audemus, Claris magnisque Parentibus ortu  
BEUTTELI, Medicæ quòd non perterritus Artis  
ingenti studio superasti culmina, & horum  
infractus sinemque uides metamque laborum.

En jam tempus adest, solidi quo Phœbus honoris  
postulat obsequium, quo Te Diis proxima Virtus  
fufciciens gremio, solium conscendere Phœbi  
præcipit, & qualem MENS PERTURBATA medelam  
exigat, Aoniæ de ponte docere cathedrâ.

Ergo age supremo jam nunc Te accinge labori,  
& capiti partam post hac TIBI sume tiaram  
auspiciibus Divis. Felicibus utere fatis,  
& Virtute Tuos quondam superato Parentes:  
Qui quoties nigri vis aspera inhorruit Orci  
accendere faces animæ, brumamque hyememque  
femineci in trunco Medicâ virtute domabant,  
Pharmaca miscentes morbos pellentia cunctos.

Amicâ manû scrib.

Christoph. Schelhammer D. & P.

**I**TE, ne in celeres vercibus! ite, ite, Poeta,  
S decias vestras centuplicate preces!  
Beuttelinm, cui mens proba, mens cui commoda cura est,  
& vestris curæ versibus esse decet.  
At ego, ne mea per strepat aures vilis arundo,  
mox facili prosa vota Tibi referam.

Clariss. Dn. Doctorand. Convictori suo atq; Amico colendo

Johannes Thomæ D.

ULB Halle


003 260 119


3



*1003*







1648, 1

10

Felicissimis S.S. Triados auspiciis,  
Decreto, & Autoritate,  
*Magnifica, Nobilissima & Gratiissima*  
*Facultatis Medica in Illustri Salana,*  
PRÆSIDE  
UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO  
VIRO  
*Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo atq; Excellentissimo*  
Dn. **GOTHFREDO MOEBIO**  
Med. D. & P.P. celeberrimo, Electorali Bran-  
denburgico & Archi-Episcopali Magdeburg. Ar-  
chiatro Eminentissimo.  
Dn. Præceptore, Patrono, & Promotore  
suo omni observantia & honoris cultu  
prosequendo,  
Disputationem hanc Inauguralem.  
DE  
**MANIA seu INSANIA,**  
PRO LICENTIA  
*Impetrandi riteq; obtinendi summos in Medi-*  
*cina Honores atq; Privilegia Doctoralia.*  
Solenni placidoq; Philiatorum examini submittit  
**JOHANNES CASPARUS BEUTTELIUS;**  
Ambergâ-Palatinus,  
ad d. 7. Septembris  
Loco & Horis consuetis  
JENÆ,  
Excudebat **GEORGIUS SENGENWALDUS,**  
ANNO M.DC. III.

*31. Septembris Dr. Beuttelius d. e. d. n. Palate notit. S. B. G.*